

P. NICOLAUS FARRUGIA

ORD. S. AUG.

DE CASUUM CONSCIENTIAE
RESERVATIONE

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

Editio Secunda



AUGUSTAE TAURINORUM - ROMAE

Sumptibus et typis PETRI MARIETTI - Editoris

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

MCMXXII

ZU:PV
B.166a
P.166a

7.6
MONS. FARRUGIA'S
BEQUEST.

DE CASUUM CONSCIENTIAE
RESERVATIONE



IN FIDE ADMELIORA
JUSTITIA COTIDIE
ET LABORE

1820-1920

P. NICOLAUS FARRUGIA

ORD. S. AUG.



DE CASUM CONSCIENTIAE
RESERVATIONE

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

Editio Secunda



AUGUSTAE TAURINORUM - ROMAE

Sumptibus et typis PETRI MARIETTI - Editoris

S. SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

MCMXXII

Nihil obstat.

P. Fr. ALOISIUS M. MUSCAT, S. Theol. Mag. O. E. S. A.

Imprimi permittimus.

P. Fr. AUG. PEPUS CASCUN, Prior Provincialis O. E. S. A.

Nihil obstat.

Cherii, 4 Iulii 1922.

P. ANGELUS TAVERNA S. I.

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, Prov. Gen.



IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR. (20-18-VII-22-1M.)

Praefatio ad Lectorem

Cum benigne quidem, benevole Lector, Tractatus de casuum conscientiae reservatione iuxta recentiora decreta et recentissimam Instruct. S. Officii (13 iulii 1916) quem edidi, a Clero tum saeculari tum regulari receptus fuerit, et quam maxime commendatus a multis ephemeridibus magni nominis, praesertim a lib. period.: « Civiltà Cattolica », cuius cl. censor de eo scribere non dubitavit, dicens: « Benchè questo eccellente trattatello sia stato pubblicato prima della promulgazione del nuovo codice di diritto canonico, pure sarà molto utile anche dopo che esso andrà in vigore (19 maggio 1918). Giacchè quanto alle questioni generali sulla riserva dei casi, l'A., fatte poche eccezioni, abbraccia le sentenze, che dal codice stesso furono sancite » (Quad. 1618, 17 Nov. 1917), et sicut non pauci, hique praeclarissimi, ut ipsum iterum typis ederem ad normam Codicis Iuris Canonici me rogaverunt, ego eorum votis annuens atque utile confessariis futurum esse confidens, hoc opus « De casuum conscientiae reservatione iuxta Codicem Iuris Canonici » iterum typis Officinae Eq. Petri Marietti, qui ipsius publicationem ultro suscepit, cudendum curavi.

Mihi persuasum est hoc opus omnibus numeris non esse absolutum; at dum, omnia in eo contenta infallibili Apostolicae Sedis iudicio atque supremae auctoritati Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos submitto, te, Benevole Lector, unice rogo, mihi cordi foret, si emendanda mihi manifestare velis. Vale.

DE CASUUM CONSCIENTIAE RESERVATIONE



INTRODUCTIO

1. Episcopi ius habent reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo. Tale ius eis provenit ex eo quod regimen Ecclesiae iure divino ipsis conceditum est.

Itaque Episcopus in foro interno potestatem exercet, et non solum solvit et ligat in sacramento poenitentiae, verum etiam approbat confessarios, reservat sibi aliquot casus, absolvit a suspensione et irregularitate, quia in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam habet, ut constat ex cap. 7 *de off. ord.* in 6°.

Porro huiusmodi ius reservandi aliquot casus, quod Episcopis competit ex institutione divina non solum in politia externa, sed etiam coram Deo, satis declaratur a Conc. Trid., sess. XIV, cap. 7, aiente: « *Hanc autem delictorum reservationem* (quam Rom. Pontifex quoad universam Ecclesiam, Episcopi in suis dioecesibus) *consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere... Extra articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant* ». Ratio huius rei manifesta est: enimvero si potestas iurisdictionis confertur ab Episcopo, certe idem Epi-

scopus potest iurisdictionem illam definitis limitibus coarctare.

Quare sicuti absolutio nulla et irrita est absque potestate iurisdictionis, ita est inanis et cassa, si absque Episcopi licentia impendatur atrocioribus illis sceleribus, quae ipse sibi reservaverit; ideoque ipsorum restrictio non spectat ad *externam tantummodo politiam*, verum etiam ad *validam peccatorum absolutionem*. Unde iure meritoque Conc. Trid., sess. XI, can. 11, percussit anathemate Waldenses, Lutheranos et omnes contententes reservationem non valere nisi in foro externo, seu *in externa*, ut aiunt, *politia*, ita ut simplices sacerdotes ab hisce casibus coram Deo valide absolvere potuerint. « *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque adeo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis valide absolvat; anathema sit* ». Et hoc eruitur ex ipsa institutione sacramenti Poenitentiae. Nam hoc sacramentum institutum est ad modum forensis iudicii. Atqui nemo negat in foro civili non paucas causas superiori tribunali, quandoque vero ipsi principi reservatas omnino esse. Ergo a pari hoc fieri potest in sacro tribunali Poenitentiae.

Insuper exemplis huiusmodi reservationum abundat historia ecclesiastica a tota antiquitate. Nam S. Cyprianus, saeculo III *in suis epistolis* 9, 10, 11, 27, vehementissime comminabatur temeritatem aliquorum de presbyteris, qui contra Evangelii legem absque Episcopi auctoritate lapsos absolverant. Illustre huius reservationis factum habemus saeculo IV in Lamproniano presbytero, quem criminis convictum ipsius metropolitanus Episcopus Synesius absolvendum remisit ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum (*Epist. 66 Synesii ad Theophilum*). Exempla huiusmodi reservationis inveniuntur

etiam in aliis decem et septem conciliis partim oecumenicis, partim nationalibus, partim demum provincialibus ante Tridentinum celebratis. (Cfr. *Sermoni istruttivi di un vecchio parroco della Toscana al suo popolo*, serm. 9, Vercelli, 1796).

Notum pariter est tria maiora delicta canonica nuncupata, *idololatria, homicidium, moechia* Episcopis passim reservata fuisse, interdum soli Rom. Pontifici, praesertim homicidium, ut constat ex actis S. Redonis. (Apuđ Mabillon, *Acta ss. ord. Benedict. saec. IV.*)

Denique ex documentis collectis a Marten (*De antiquis eccl. ritibus*, lib. 1, part. 2, cap. 6, art. 6; Morino, *De Poenit.*, 2, cap. 2, § 13; Chardon, *Hist. du Sacrament de Pénit.*, sect. 1, chap. 7) constat in antiquitate fuisse ordinariam et constantem praxim, ut poenitentes a solo Episcopo absolventur, vel ab iis sacerdotibus, quibus Episcopus id demandasset.

Ceterum saepe expedit, ut crimina atrociora reserventur tum ut fideles eorum gravitatem vividius sentiant, et ab iis committendis ob difficultatem remissionis obtinendae deterreantur, tum ut graviores christianorum morbi peritioribus medicis curandi committantur, quod ad disciplinam magnopere est necessarium, sicut Tridentina Synodus, sess. XIV, cap. 7 decernit: « *ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolventur* ». Non nego aliquando accidere posse, ut tales poenitentes a minus perito medico curentur, v. g. quando Episcopus dat confessario communi ad eum recurrenti facultatem absolvendi poenitentem, qui fuit ob peccati cuiusdam reservationem ab eo dimissus. Sed hoc fit per accidens et per modum transeuntis exceptionis: manet quod ab Episcopo habitualiter designantur, pro reservatis absolvendis, eminentiores et doctiores confessarii,

ad quos de regula ordinaria dirigendi sunt poenitentes reservationi obnoxii. Ceterum, eo ipso quod communis confessarius ad Episcopum recurrere debet, manet penes Episcopum facultas iudicandi de aptitudine confessarii, et huic dandi opportunum consilium.

Ergo Episcopi ius habent reservandi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo, id est, ad validam peccatorum absolutionem. Quam veritatem admisit Leibnitiuss, homo lutheranus, qui in *System. theol.* pag. 274 ait : « *Id ipsum de iure divino est, ut absolutionem non consequatur, qui Ecclesiae iudicium contemnit, et quas illa condiciones sive in confitendo exigit, sive post confessionem imponit, negligere audet.*

« *Hinc etiam in Pontifice maximo et Episcopo potestas est statuendi casus reservatos, qui a quovis sacerdote remitti non possunt nisi in periculo mortis, et praescribendi canones poenitentiales... quibus a confitente neglectis : irrita absolutio esset* ».

Quidam ex catholicis post apertam doctrinam tridentinam non erubuerunt impugnare ius reservandi casus in Ecclesia, et propugnare absolutionem collatam a sacerdote destituto requisita potestate validam esse. Quam doctrinam sequuta est Synodus Pistoriensis, ita ut Pius VI in Const. : « *Auct. Fidei* » proscripserit sequentes duas ipsius propositiones, nempe prop. XLIV : « *Propositio synodi asserens reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus, assuetis non admodum curare hanc reservationem, declaratur falsa, temeraria, male sonans, pernicioza, Conc. Trid. contraria, superioris hierarchiae potestatis laesiva* ». Et prop. XLV quae sic sonat : « *Item de spe, quam ostendit fore ut reformato Rituali et ordine Poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes; prout attentata*

generalitate verborum innuit, per reformationem Ritualis et ordinis Poenitentiae factam ab Episcopo, vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. XIV, cap. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare, pariter declaratur, ut falsa, temeraria, Concilio Trid. et summorum Pontificum auctoritati derogans, et iniuriosa ». Ergo iterum redit conclusio Episcopus ius habere reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo, id est ad validam peccatorum absolutionem.

ARTICULUS I.

De Natura et Fine Reservationis.

2. NATURA. — Reservatio est subtractio potestatis absolvendi a quibusdam peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis, id est, quatenus communi confessario restringitur iurisdictio in determinatum peccatum vel determinatam censuram, atque eorum absolutio reservatur Superiori eiusque delegato. Hinc reservatio *immediate* attingit confessarium, cuius iurisdictio restringitur, et *mediate* poenitentem; sed intentio Superioris directe fertur in ipsum poenitentem, eum adigendo ut se repraesentet ei vel suo delegato, et proinde restrictio iurisditionis confessarii se habet ut medium electum ad illud.

Nota. — Per censuram hic intelligitur sola excommunicatio, quia ipsa sola de se prohibet susceptionem sacramenti Poenitentiae, quare peccata, quibus adiungitur excommunicatio reservata, *casus reservati* dicuntur. Nec est praetereundum, quod censurae reservatio non impediatur *validam absolutionem peccati*, cui censura adnectitur, sed tantum impedit quominus peccatum *licite* absolvatur, cum excommunicatus absolvi prohibeatur, si prius censura non fuerit ablata.

3. FINIS RESERVATIONIS. — Iuxta disciplinam reservationis sub triplici aspectu considerari potest finis, vel a) ut *medicinalis poena delicti*, qua fideles a peccatis gravioribus deterreantur, cognita eorum difficili absolute; vel b) ut *medicina peccantis*, seclusa poenae ratione, quatenus graviora et periculosiora animae vulnera peritioribus medicis, quales supponuntur esse Superiores, curandi reserventur; quia ut ait S. Lig. (*Hom. Ap.*, XVI, 128) « finis reservationis non est solum, ut fideles avertantur a reservatis, sed etiam (ut dicunt Fagnanus et alii) ut prolapsi convenientes recipiant poenitentias, admonitiones et remedia, quae non conveniunt ab aliis applicari, quam a Superioribus, qui semper estimantur prudentiores et magis idonei ». Nam in Conc. Trid., sess. XIV, cap. 7 *De casuum reser.* legitur: « *Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolventur* »; vel c) ut *tuitio hierarchici ordinis*, quatenus, ut ait Theiner (*Acta genuina Conc. Tridentini*, Zagabriae, 1874, I, p. 587), « suum quisque in sua dioecesi Episcopum, et unum omnes in universo orbe Vicarium Christi et supremum eius Ecclesiae moderatorem agnoscant et revereantur ».

4. Quaestio est inter doctores, « *quinam ex his finibus principaliter intendatur ab Ecclesia in praesenti reservationis disciplina* ». Solutio huius quaestionis pendet a mente reservantis, quam ipse manifestat. a) Iam vero illa mens nobis innotescit in reservatione peccati, scilicet, *de falsa accusatione sollicitationis*, quod specialissime reservabatur Papae (hodie tamen Sedi Apostolicae speciali modo reservatum est, can. 2363), cum Benedictus XIV in Constit. « *Sacramentum Poenitentiae* » in-

tendat finem principalem poenalem, expresse dicens : « ut tam nefaria audacia et tam detestabile facinus *metu magnitudinis poenae coerceatur* ».

b) Quoad censurarum *reservationem*, sive S. Sedi, sive Episcopo, vi dispositionis iuris communis, *reservatarum*, mens Ecclesiae usque ad diem 13 iulii 1916 expressis vel aequivalentibus verbis non fuit aperta et proinde iuxta probabilem sententiam tenebatur hanc reservationem fuisse poenam medicinalem, quia omnis reservatio non solum *de facto*, sed etiam *ex intentione Ecclesiae* delinquentes punit, et a gravioribus delictis absterret (Cfr. Ballerini-Palmieri, v. *Appendix De casuum reservatione*, n. 206 ss.). Attamen hodie potest hoc tuto doceri, quia hac de re aliquo modo Ecclesia suam mentem aperuit, cum in *Instruct. S. Officii*, 13 iulii 1916 et can. 897 declaret quamcumque Ordinariorum reservationem ab ignorantibus non incurri (Cfr. Art. V *De ignorantia reservationis*, n. 11).

ARTICULUS II.

De Modo Reservationis.

5. MODUS RESERVATIONIS. — Peccata triplici modo reservari possunt: a) aut *ratione sui*, seu *peccati*; b) aut *ratione censurae*; c) aut *cum censura*.

a) Peccatum est reservatum *ratione sui*, quando reservatio *immediate et principaliter* afficit ipsum peccatum, ita ut auferatur in illud iurisdictio, et communis confessarius ab illo absolvere valide nequeat.

b) Peccatum est reservatum *ratione censurae*, quando reservatio cadit in censuram peccato adnexam, et *mediate* tantum in peccatum. In tali casu iurisdictio non aufertur in peccatum, sed in solam censuram ita ut

communis confessarius possit quidem valide absolvere a peccato, non vero a censura, si Superior contrarium non expresserit, sicut nunc habetur in Novo Codice, in quo declaratur invalidam esse absolutionem complicitis in peccato turpi extra periculum mortis (c. 884) vel extra casum extremæ necessitatis, quæ hac in re ex epikeia periculo mortis æquiparari possit, ut esset casus illius poenitentis, qui versatur in locis missionum, ubi alium sacerdotem præter complicem numquam vel non nisi post multos annos habendi spes affulgeat (1).

e) Peccatum est reservatum *cum censura*, quando peccatum ratione sui est reservatum, cui accessorie adiungitur excommunicationis censura, sive hæc sit reservata, sive non.

6. a) Sedulo attendendum est discrimen inter casum reservatum *ratione censurae* et casum reservatum *cum censura*; quia prima reservatio immediate attingit censuram, et secunda attingit peccatum, et proinde in primo casu reservatio pendet a censura, ita ut censura non contracta, ex eo quod quis *ex gravi metu*, vel *cum ignorantia censurae* peccaverit, peccatum non remaneat reservatum; dum contra in secundo casu non contracta censura, manet reservatio peccati.

b) Casus papales sunt reservati ratione censurae, excepto unico casu simpliciter reservato *ratione sui* cum censura, *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservata, « de falsa delatione, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos » (c. 894). Hic advertendum est, quod si in casu non contrahatur

(1) Ita Bucceroni, n. 68; Lehmkühl, n. 936; Génicot-Salsmans, II, n. 354; Noldin, 386; D'Annibale, III, n. 324, nota 37, etc.

censura ex eo quod quis ex *gravi metu* vel cum *ignorantia censurae* peccaverit, manet reservatio peccati.

c) Casus episcopales generatim sunt reservati sine censura; dixi generatim, quia in aliquibus locis reservantur cum censura sive reservata sive non.

d) 1. (Ordinarii) « *cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quoad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim, quibus forte suas reservationes communitate velint* » (Instruct. S. Officii, n. 5, 13 iulii 1916).

2. « Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes absteineant, quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit » (c. 898).

ARTICULUS III.

De Auctore Reservationis.

7. *Quis potest peccata reservare?* - *Resp.* « Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere, aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolventi potestatem limitantes » (c. 893, § 1).

Hinc : a) Summus Pontifex, qui casus reservare potest pro tota Ecclesia, siquidem iurisdictionem habet immediatam in omnes et singulos fideles, et proinde potest coarctare iurisdictionem a quocumque alio, etiam ab Episcopo, vel a Praelato regulari in illos exercendam; quia uterque iurisdictionem ordinariam habet a Papa obnoxiam eius supremae iurisdictioni, et proinde Summus Pontifex potest eorum iurisdictionem infra quosdam limites restringere et limitare.

b) Episcopi possunt reservare casus pro suis dioecibus, cum iurisdictionem ordinariam habeant, et proinde possunt coarctare iurisdictionem ordinariam parochi respectu subditorum et etiam vicarii foranei, quia uterque accepit iurisdictionem ordinariam obnoxiam iurisdictioni Episcopi; et licet in can. 899, § 2, legatur: « *At huiusmodi absolvendi facultas... habitualiter impertiatur saltem vicariis foraneis* », non est deducendum hanc absolvendi facultatem eis competere *a iure*, sicut competit canonicis poenitentiaris ad normam can. 401, § 1, ubi edicitur: « *Poenitentarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis* ». Igitur sicut vicarii foranei habent *habitualmente* hanc facultatem non *a iure*, sed ex concessione vel mandato Episcopi, ita ipse potest eis non concedere hanc habitualem facultatem absolvendi, si ob iustas causas diversimode iudicet. Idem dicendum est de Episcopo respectu parochi, si tantum excipiatur totum tempus ad praeceptum paschale adimplendum utile, quia in hoc casu parochus *ipso iure* habet facultatem absolvendi a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint (c. 899, § 3).

c) Praelati regulares, scilicet Superior Generalis tantum religionis clericalis exemptae, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiuscumque consilio (i. e. audito consilio) peccata subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1, 519 (c. 896).

a) Tenor can. 518, § 1 est: « *In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis* ».

β) Tenor autem can. 519 sic sonat : « *Firmis constitutionibus, quae confessionem statis temporibus praecipunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis* ».

Quare hodie religiosi cuiuslibet Ordinis vel Instituti, sive simplicium, sive sollemnium votorum absolvi possunt extra *domum*, et etiam *domi* absque ulla Superioris licentia ab omnibus peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis per quemlibet confessarium sive saecularem sive regularem, tum proprii, tum alterius Ordinis aut Instituti, ab Ordinario loci ad audiendas confessiones approbatum. Et hoc etiam valet, si religiosi ritus latini confiteantur apud sacerdotes ritus orientalis, et vicissim, nec non novitii cuiuscumque Ordinis vel Congregationis (*S. Congr. de Religiosis in Romana et aliarum*, 21 mart. 1914, probante SS.mo die 23 eiusdem mensis et anni; *Acta Apost. Sedis*, vol. V, p. 431; vol. VI, p. 232).

Hinc licet omnis reservatio in Ordine *practice* cesset, hoc tamen *absolute* dici nequit, cum haec reservatio adhuc vigeat pro approbatis a solo Superiore in Ordine ad audiendas confessiones, nisi fuerint etiam approbati ab Ordinario loci, quia tunc approbati a solo Superiore tenentur servare antiquam disciplinam, circa absolutio-nem a reservatis in Ordine.

Potestas Superiorum regularium reservandi sibi casus fuit limitata a Clemente VIII Const. : « *Sanctissimus* » (26 maii 1593) ad sequentes casus :

1^o Apostasia a religione, etiam retento habitu.

2° Nocturna ac furtiva e monasterio egressio.

3° Veneficia, incantationes et sortilegia.

4° Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

5° Furtum mortale de rebus monasterii.

6° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

7° Iuramentum falsum in iudicio legitimo.

8° Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto.

9° Occisio vel vulneratio seu gravis percussio cuiuscunque personae.

10° Falsificatio manus vel sigilli officialium monasterii.

11° Malitiosum impedimentum, retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

Nota. — 1) Si ex dispositione Iuris can. quilibet religiosus etiam exemptus potest confiteri apud quemlibet confessarium approbatum ab Ordinario, et ab ipso absolvi a peccatis et censuris in religione reservatis, haec dispositio haberi debet ut exceptio ad regulas statutas a canonibus 518, § 1; 519 supra citatis, quarum vi religiosus *habitualiter* tenetur confiteri *statis temporibus* apud determinatos et designatos confessarios Ordinis; et proinde religiosus non obstante illa exceptione, tenetur habitualiter confiteri apud praefatos confessarios, quia secus verba canonis non haberent sensum, quod absonum est a mente Legislatoris.

2) Religiones non exemptae casus intra religionem reservatos non habent.

d) Parochus in sua paroecia casus reservare sibi non potest, quia ex can. 893 ille tantum potest reservare sibi casus, qui audiendi confessiones potestatem concedere aliis potest: atqui ex can. 874 Ordinarius loci, in quo confessiones excipiuntur, potest conferre hanc potestatem sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis: Ergo parochus non potest sibi reservare casus.

8. Quilibet Episcopus ante instructionem recentissimam S. Officii, 13 iulii 1916, in reservandos casus prae oculis habere debebat sequentes normas Benedicti XIV (*De Synodo dioec.*, lib. V, cap. 45):

a) « Decet ut Episcopi facultate casus reservandi non utantur nisi in Synodo, quamvis eam quaecumque voverint exercere valeant; cautius enim agent, si probos et longa experientia edoctos sacerdotes in consilium adhibeant.

b) « Nimium faciles esse non debent ad reservationes multiplicandas; sed solum atrociora et graviora crimina, decem aut duodecim ad summum, sibi reservare, secus confessionem odiosam reddent.

c) « In peccatis carnalibus reservandis multa utantur (*Episcopi*) circumspectione propter periculum scandali vel infamiae, quod incurritur ab iis, qui frequentius ad confessarios privilegiatos recurrere vel saepius ad ordinarios redire coguntur.

d) « Peccata mere interna, quantumvis gravia, numquam reserventur.

e) « Peccata iam S. Pontifici reservata non sibi superflue reservent ».

9. Sed cum quidam Ordinarii has normas Benedicti XIV non observaverint et in multiplicandas reservationes confessionem odiosam reddiderint, Suprema S. Congr. S. Officii huic malo obviare volens atque reservationem non esse tenens cum Conc. Tridentino ad destructionem, sed ad fidelium aedificationem, instructionem super casuum conscientiae reservationibus tulit, quam in casus reservandos a singulis Ordinariis observandam esse decrevit atque praecepit.

Cum haec instructio literaliter in Novo Codice, lib. 3, tit. 4, can. 893-900 relata fuerit, iustum duximus hoc in loco integram referre.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I.

SUPER CASUUM CONSCIENTIAE RESERVATIONIBUS INSTRUCTIO

Cum experientia comprobatum sit casuum, quos vocant, conscientiae reservationes, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse ; Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, praecedentibus ad rem dispositionibus novas, pro opportunitate temporum, superaddens, de expresso mandato SSmi D. N. Benedicti divina providentia PP. XV, haec cum omnibus et singulis Rmis locorum Ordinariis *decretorie* omnino ac *praeceptive* communicanda statuit :

1. Meminerint ante omnia Rmi Ordinarii casuum conscientiae reservationes *ad destructionem munitionum*, iuxta dictum Apostoli (2^a Cor., x, 4), ad removenda scilicet obstacula quae saluti animarum *non communi* impedimento sunt, esse dirigendas ; ideoque, generatim loquendo, extraordinario huic remedio manus ne velint apponere nisi, re in synodo dioecesana discussa, vel, extra synodum, auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex probatoribus ac prudentioribus suae dioecesis animarum curatoribus, de vera reservationis necessitate aut utilitate in Domino convincantur.

2. Uteumque, casus reservandi sunt *pauci* omnino, *tres*, vel, ad summum, *quatuor*, atque ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus *specificè* determinandis ; ipsa vero reservatio non ultra in vigore maneat quam necesse sit ad publicum inolitum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam.

3. Reservationi, generatim, ne submittantur *peccata mere interna*, quippe quae, ut docet Benedictus XIV (*De Syn. dioec.*, v. 5, 5), *non est in praxi receptum ut unquam reserventur*, propter animarum periculum; sive quae ex *humana fragilitate* derivantia aliam non habeant specialem sibi coniunctam malitiam, propter humanam infirmitatem.

4. Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis Ordinarii abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae reservata, ne scilicet absque necessitate multiplicentur leges; et, regulariter, ab iis quoque censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit; hoc enim expresse prohibet vetus Instructio S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 26 novembris 1602, quae ita se habet: « Praesertim vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii ne illos casus promiscue reservent quibus adnexa est excommunicatio maior a iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim reservandi viderentur ».

5. Cauti insuper omnino sint et quam maxime parci quod ad poenales sanctiones, excommunicationes praesertim quibus forte suas reservationes commutare velint; nam, ut sapienter admonet Sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. XXV *de Ref.*, c. 3): « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaue circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari et perniciem potius parere quam salutem ».

6. Verumtamen, statutis semel reservationibus quas vere utiles aut necessarias iudicaverint, curent omnino

ut ad *certam* fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eadem deducantur — nam quaenam earum vis si lateant? — easque, quamdiu necessitas aut utilitas perduraverit, firmas teneant, seu facultatem a reservatis absolvendi ne cuius et passim impertiant. Mens tamen est S. Congregationis ut huiusmodi absolvendi facultas *habitualiter* impertiatur saltem Canonico Poenitentiario, etiam Ecclesiae Collegiatae, et Vicariis foraneis eorumve vices gerentibus, addita his ultimis, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, etiam facultate subdelegandi *toties quoties* confesarios sui districtus, si et quando pro urgentiori aliquo determinato casu ad eos recurrant.

7. Ad evitanda demum gravia inconvenientia, quae ex reservationibus utilibus quoque ac necessariis in peculiaribus quibusdam rerum adiunctis facile oriri possent, eadem S. Congregatio, nomine et auctoritate Sanctissimi, sequentia decernit :

a) Quaevis Ordinariorum reservatio *ipso iure* cessat sive cum aegrotis, qui domo excedere non valent, confiteri cupientibus ; sive cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa ; sive tandem, prudenti confesarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat absque gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

b) Cessat pariter reservatio si, petita pro aliquo determinato casu a legitimo Superiore absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit ; cessat tamen pro ea vice tantum.

c) Toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, a casibus quos quomodolibet sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt, absque alius facultatis ope, parochi quive parochorum nomine in iure censentur.

d) Quo tempore Sacras Missiones ad aliquem po-

pulum haberi contingat, eadem absolvendi facultate gaudent singuli Missionarii.

e) Postremo, a peccatis in aliqua dioecesi reservatis absolvi possunt poenitentes in alia dioecesi ubi reservata non sunt, a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint.

8. Sed, denique, studeant potissimum Ordinarii doctos, pios ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, eiusque opportuniora ad inolita vitia convellenda remedia suggerant quae ipsimet, si poenitentes ad se remitterentur, adhibitori forent. Quo, dum et confessariis et poenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt. Interim vero casuum reservatorum, si qui in propria dioecesi constituti sint, disciplinam ad haec praescripta quamprimum reducere, servato modo art. 1^o statuto, et haec omnia suos confessarios apprime edocere satagant.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 13 iulii 1916.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL
Secretarius.

Nota. — a) Monita 1-2-3 sunt *irritativa*, id est, reservatio, quae contra illa monita ab Episcopo induci contingeret, non restringit validum iurisdictionis exercitium.

b) Prima pars moniti quarti est *irritativa*, ut expresse constat ex ipsius instructionis verbis. "Prorsus autem ab iis peccatis sibi reservandis Ordinarii abstineant „. Secunda vero pars eiusdem moniti, et monitum quintum sunt *directiva*, quatenus reservatio, quae contra illa ab Episcopo induci contingeret, *valide* quidem sed *illicite* restringat iurisdictionis exercitium.

Curent etiam Ordinarii, ut reservatio cum provisoria sit, non ultra in vigore maneat, quam necesse sit (can. 897).

De ceteris loco singulis proprio locuturi sumus.

ARTICULUS IV.

De Conditionibus ad Reservationem requisitis.

10. Iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, ut peccatum sit reservatum, requiritur: a) ut peccatum sit mortale, et quidem tale tum *materialiter* tum *formaliter* quale reservatur; b) externum, et quidem grave qua externum; c) a pubere commissum; d) opere consummatum; e) ut sit certum.

a) *Ut sit mortale*, nam cum peccata venialia non sint materia necessaria sacramenti Poenitentiae, et pluribus aliis mediis remitti possint, non videtur ad quid inseriret haec reservatio, in se quidem possibilis sed inutilis, et aliena ab Ecclesiae mente et praxi, cuius mens est, ut non reserventur nisi gravia peccata, imo iuxta Conc. Trid., sess. XIV, c. 7 nonnisi *graviora et atrociora crimina*.

Dixi et quidem tale tum *materialiter* tum *formaliter*, quale reservatur. 1. *Materialiter* quidem, quia non tantum debent esse elementa requisita ad constituendum peccatum materialiter grave in ratione peccati externi, sed etiam illa elementa debent esse, quae actum constituent in determinata specie, quam reservatio attingit. Hinc si in aliqua dioecesi — *incestus* in primo, vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis esset casus reservatus — non incurreret reservationem illius incestus, qui carnaliter cognosceret suam consanguineam, seu affinem, sed non in secundo gradu; committeret quidem peccatum grave, externum et incestus, sed non peccatum incestus, qualis est reservatus in illa dioecesi. Nec incurreret hanc reservationem, si peccando putaret suam complicem esse consanguineam vel affinem in secundo

gradu, dum realiter talis non sit; quia in casu peccaret *formaliter*, ut requiritur in reservatione, sed non *materialiter*, prout etiam requiritur in eadem reservatione.

2. *Formaliter*, id est, ut delinquens adverterit ad illa elementa constituentia materialiter illud peccatum specificum, et, stante illa advertentia, peccatum commiserit. Hinc non incurrit reservationem incestus, qui invincibiliter ignoravit personam, cum qua peccavit, fuisse consanguineam, vel affinem in secundo gradu. Hic *materialiter* et *formaliter* commisit peccatum grave, et externum, et quidem peccatum *incestus*, sed respectu reservationis commisit tantum *materialiter* peccatum incestus, et non *formaliter*.

Nota. — Sufficit ad incurrendam reservationem cognitio confusa, quam quis habet, quando peccat cum consanguinea, v. gr. cum sorore vel filia, de speciali malitia incestus prae simplici fornicatione; quia non requiritur, ut *distincte* cognoscatur species moralis, quam fornicationi superaddit incestus, et proinde sufficit illa cognitio, qua etiam rudes apprehendunt *non idem esse fornicari cum consanguinea ac cum extranea*.

b) *Ut sit externum et quidem grave, qua externum*, ita ut possit constituere crimen ex gravioribus et atrocioribus specialem malitiam habentibus seu specificè determinatis iuxta monitum 2 instructionis S. Officii, 13 iulii 1916, et can. 897. Ratio primi est; quia quamvis peccata interna et quidem iure divino in foro interno enuntiantur, et iudiciali sententia solvuntur, et consequenter sicut ecclesiasticae iurisdictioni, ita reservationi revera subici possunt; attamen non expedit, ut peccata interna reserventur; gravissimum quippe iugum esset iis, qui saepe iactantur anxietatibus, num internis cogitationibus praebuerint, aut non praebuerint assensum. Aliunde nota damni socialis, quae praecipua reservationis causa est, haec peccata carent. Quapropter nec Romanus Pontifex

nec ullus Episcoporum hactenus reservavit peccatum aliquod sola cogitatione patratum.

Unde iure meritoque Suprema Sacra Congregatio S. Officii, 13 iulii 1916, ad monitum tertium decrevit atque praecepit: « Reservationi, generatim, ne submittantur peccata mere interna, quippe quae, ut docet Benedictus XIV, (*De Synodo dioec.*, v. 5, 5) *non est in praxi receptum ut unquam reserventur, propter animarum periculum* ».

Ratio secundi est, quia, ut constat ex eodem monito, si peccata non habeant aliam specialem malitiam sibi coniunctam propter infirmitatem humanam, generatim reservari non debent. Et hoc constat ex responso dato a S. Congr. EE. et RR. (3 iulii 1677) Episcopo de Mi-repoix referente: « Quia multi ex clero procliviores sunt ad libidinem nobis reservamus hunc casum, eaque *severitas* multum profuit ad morum emendationem ». S. Congr. Episc. et Regul. respondit: *Non approbatur*.

Ut autem peccatum externum censeatur reservatum, non sufficit, quod habeat mortalem malitiam ex actu interno; sed insuper requiritur, ut ipsa actio externa gravem obiective inordinationem importet, adeoque grave constituat peccatum citra respectum ad actum internum vel pravam intentionem operantis. Hinc non incurrit reservationem latam in parentum percussores, qui leviter percutit parentes ex intentione graviter percutiendi eos, quia levis percussio externa, non est reservata, licet interne mortaliter peccaverit.

c) *Ut sit a pubere commissum*, id est, nisi aliter exprimat in statuto. Aetas autem pubertatis, iure canonico, est 14 annorum pro masculis et 12 pro foeminis. Unde ante hanc aetatem non sunt obnoxii reservationi; imo in aliquibus dioecesibus etiam pro foeminis requiritur aetas 14 annorum completorum, ut statutum est

in dioecesibus Melitensi et Gaudisiensi, ut constat ex Synodo Dioecesana celebrata ab Ill.mo et Rev.mo Domino Davide Cocco Palmieri die 22-23-24 aprilis 1703, pag. 47, ubi legitur: « *Neminem autem ante decimum quartum aetatis annum; eo vero expleto, omnes et singulos etiam pro prima vice talia committentes hisce censuris et casibus comprehendi volumus* »; et ex Syn. Prima Gaudisiensi celebrata ab Excellmo Domino Fr. I. M. Camilleri O. E. S. A. XV-XIV et XIII kal. novembr. 1903, pag. 196, ubi legitur: « *Ut peccatum reservatum censi debeat, haec requiruntur: a) Ut, qui illud admittit quartum decimum aetatis annum compleverit* »; expedit enim ut impuberes eximantur a reservatione, quia haec aetas tenella non requirit tantam disciplinam et severitatem, attentis etiam variis incommodis spiritualibus, quae exinde sequi possunt.

Nota. — 1). Quamvis impuberes non sint obnoxii reservationi, et eorum immunitas non communicetur puberi complici in peccato reservato, puta in peccato *incestus*; attamen per accidens, quando ad reservationem requiritur copula de se apta generationi, delinquens puber liberatur a reservatione peccans cum impubere, quatenus praecise ob impubertatem unius partis deficit conditio ad ipsius peccati reservationem requisita.

2) Non confundas peccatum publicum cum externo, quod optime potest esse occultum.

d) *Ut sit opere consummatum, nisi aliud in statuto exprimatur*; quia reservatio, cum sit quid odiosum, seu onerosum, est strictae interpretationis, et proinde non est extendenda ad actus mere attentatos, sed tantum ad perfectos et consummatos, nisi reservans ipsam quoque criminis atrocis attentionem expresse reservaverit. Hinc non incurrebat reservationem latam a citata Synodo Melitensi in incestuosos in primo, vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis, nec non in cognatione

spirituali, qui solum attentavisset committere peccatum incestus, vel in actu copulae semen extra vas naturale effudisset, quia ad incurrendam reservationem requirebatur copula perfecta et consummata. E contra incurbat reservationem cum excommunicatione latam *in abortum procurantes*, qui illum attentavisset (v. g. balneum sumere, secare venam, percutere ventrem, sumere potum ad hoc), licet foetus non eiiceretur, quia in nostra dioecesi Melitensi reservabatur procuratio abortus etiam effectu non secuto.

e) *Ut sit certum*, excluso, scilicet, omni dubio positivo sive *iuris* sive *facti*. Dubium *iuris* habetur, quando inter Doctores dubitatur, *an lex reservans sit lata*, vel *an comprehendat hunc casum*; dubium *facti* habetur, quando dubitas an peccatum reservatum revera a te commissum fuerit, vel an peccatum fuerit materialiter et formaliter grave, utrum fuerit externum, et qua tale grave. Dixi *dubio positivo*; quatenus hoc dubium sit serium, probabile et objective fundatum, ita ut moveat virum prudentem et peritum, non vero dubium, quod oritur ex inscitia et ignorantia confessarii in re theologica.

Nota. — Peccatum sic commissum, id est, cum dubio positivo, quod afficit sive factum commissionis, sive factum reservationis, vel ius, potest, stante dubio, auferri a communi confessario, quia sub illo dubio non est reservatum, ideoque directe remittitur, et proinde si post confessionem deprehendas fuisse certo reservatum, non teneris denuo illud confiteri. Et hoc hodie certum est de qualibet reservatione agatur, ut clare patet ex ipso iure; « *in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget* (can. 2245, § 4).

ARTICULUS V.

De Ignorantia Reservationis.

11. *Quaer.* : An ignorantia reservationis ab hac incurrenda excuset ?

Resp. : Praescindendo a casibus papalibus hic loquimur de casibus episcopalibus, qui ut bene cognoscantur, oportet distinguere peccatum reservatum *ratione censurae*, et peccatum *ratione sui* et *cum censura*. Iam dixi pag. 13 quid est peccatum reservatum *ratione censurae*, *ratione sui* et *cum censura*, et proinde tota quaestio coarctanda est : « *an ignorantia reservationis peccati reservati cum censura, et ratione sui excuset ab illa incurrenda* ».

Cum quaestio duas partes complectatur, eam per partes exponimus.

1. Quod ad primam partem attinet, est dicendum, quod quidam Doctores cum S. Alphonso communiter docent ignorantiam non excusare a reservatione, quia in casibus episcopalibus principaliter reservatur peccatum, cui adiungitur censura, ut peccantes fortius ligentur, et per duplicem reservationem a peccato absterreantur (S. Lig., n. 581). Alii vero Doctores, magni momenti, quibus adiunguntur recentiores D' Annibale, I, n. 340, Ballerini-Palmieri, n. 476, Génicot, II, n. 344, docent eos, qui non incurrunt censuram, nec reservationem peccati incurrere tum quia, quando casui adnectitur excommunicatio, reservatio fit indivisibilis, ita ut, non contracta censura, peccatum non remaneat reservatum; tum quia inter censuram papalem et episcopalem in iure nullum reperitur discriminis fundamentum, nisi Episcopus mentem suam explicite significaverit, id est, nisi statuerit reservationem tam peccata, quam censuras,

quibus peccata adnectuntur, afficere, ut fiebat in dioecesi Argentinensi et Melitensi. Attamen etiam in hoc casu censura non esset practice tractanda ut reservata, cum censurae reservatio probabiliter censeatur in poenam sicut ipsa censura. Quare hanc opinionem practice quis sequi potest, cum in casu agatur de dubio *iuris*, et in dubio *iuris* Ecclesia supplet iurisdictionem (can. 209). Hinc confessarius potest absolvere cum hac iurisdictione probabili probabilitate iuris poenitentes ignorantes hanc reservationem pro prima vice, ea tamen lege, ut ipsos pro futuro de existentia reservationis certiores faciat.

Nota. — Quod si sciens censuram casui esse adnexam, ignorabat eam esse reservatam, alii cum Bon. putant, etiam tunc eum excusari a reservatione, atque adeo e quovis confessario absolvi. Sed merito Lehmkühl, vol. 2, pag. 295, § 7 ait: « *neque haec opinio cum aliis moralistarum et canonistarum principiis cohaeret, quum accessorium sequatur principale; ideoque, cognita principali poena, etiam accessorium onus, sive poenam dicit, sive medicinam, incurritur* »; idest, qui iam consentit in poenam censurae, adeoque implicite consentit in eius reservationem, et in omnes alios effectus, licet ignoratos.

2. Quod vero ad secundam partem attinet, scilicet, *an, quando peccatum est reservatum ratione sui sine censura, ignorantia reservationis excuset ab hac incurrenda?* praestantissimi theologi una cum Ballerini P. n. 725 ss.; Sabetti, n. 781, q. 40; Adloff, apud *Strassb. Diozesanbl.*, 1911, p. 122 s.; Von Holtum, apud *Pastor Bonus*, t. XVI (1903-1904) p. 211 ss., et alii quamplurimi probabiliter affirmant, id est, reservatio non incurritur ab iis, qui reservationem ignorant, nisi expresse vel virtualiter contrarium constet de mente legislatoris, dummodo confessarius potestatem in reservata non habens instruat poenitentem, quod si postea iterum in reservata inci-

derit, reservatione teneatur, et sic disciplinae relaxandae aditus praecludatur in posterum. Et ratio eorum est, quia hae reservationes sunt poenales et medicinales, non mere disciplinares. Et cum probabilitas huius sententiae agnoscat etiam ab adversariis, habetur in casu dubium iuris. Atqui peccatum reservatum dubium licet absolute cum iurisdictione probabili probabilitate iuris iuxta communem sententiam Doctorum ap. S. Lig. (vol. VI, n. 600). Ergo simplex confessarius potest absolvere pro prima vice poenitentem reservationem ignorantem, illum monens de reservatione incurrenda in posterum, si postea in reservata incidit. Sed sententia communior, quam S. Lig. amplectitur, negat, id est, docet reservationem etiam ab ignorantibus incurri, quia defensores huius sententiae dicunt: a) quod reservatio non est quidem poena respiciens poenitentes, sed restrictio iurisdictionis respiciens confessarios et proinde ignorantia poenitentis non potest conferre confessario iurisdictionem, quam non habet. b) Quod ubi peccatum reservetur *rationi sui*, reservatio non est poena, sed medicina, tum *praeservativa*, ut fideles metu reservationis a culpis gravioribus absterreantur, tum *curativa*, ut recipiant a superioribus poenitentias et monita ac remedia opportuniora, quae non nisi a prudentioribus applicari expedit (S. Lig., vol. VI, n. 581). Sed Doctores sententiae affirmativae sic respondent adversariis:

a) Non negamus reservationem directe et immediate afficere confessarium in quantum peccatum est *certo* reservatum: sed in casu peccatum, ut patet ex ipsa Doctorum controversia, non est *certo* reservatum. Aliunde non constat superiorem voluisse etiam *casum ignorantiae* comprehendere in reservatione.

Haec quaestio sic proponi potest: *Utrum lex reservans comprehendat peccatum etiam tunc, cum qui peccat legem*

ignorat? Sed non solvitur haec quaestio dicendo reservationem esse restrictionem iurisdictionis; quia ex eo quod reservatio sit restrictio iurisdictionis, nihil confert ad discernendum, ad quos casus ea restrictio se porrigat, seu quaenam peccata sint reservata, ut observat Viva, (*De Poenit.*, q. 9, a. 5, n. 3), non secus ac ex eo quod *lex vim habeat obligandi*, inepte concluderetur hunc aut illum casum ipsa lege comprehendi. Nemo dicit ignorantiam, quae est in poenitente, conferre confessario iurisdictionem relate ad peccata reservata; sed tantum dicitur, quod illa ignorantia impediatur, quominus per legem reservationis restringatur in confessario iurisdictionem relate ad illa peccata non certo reservata.

β) Non constat reservationem peccati *ratione sui* esse medicinam, cum quidam (Graff., Palud., Quintanad, Quarti, Regin. etc.) illam teneant ut poenam, quam sententiam, ut probabilem, tenent cum Salm., Ronc., Elbel, Sporer, Viva, Mazzotta, et aliis Lugo (*De Poenit.*, disp. XX n. 11), nec non Sanchez (*De Matrim.*, lib. 9, disp. 32, n. 18); alii vero illam tenent, ut *poenam simul et medicinam*. Unde De Moya (*Quaest. select.*, part. I, p. 305) ait: « Formalitas medicinae non destruit rationem poenae: istae enim formalitates recte in eadem entitate compatiuntur, ut patet in poenitentia sacramentali, quae poena et medicina simul est iuxta Trid., et in *excommunicatione*, quae, ut ait Sanchez, ex una parte est medicina, et ex altera est poena; ergo bene stat reservationem esse medicinam ad Ecclesiae rectam gubernationem conducentem, et simul esse poenam. Unde argumentum sic conficitur: Excommunicatio, quia rationem poenae participat, non incurritur ab ignorante, licet simul includat rationem medicinae conducentis ad rectam Ecclesiae gubernationem. Ergo reservatio, quia

rationem poenae participat, non incurritur ab ignorante, licet simul includat rationem medicinae conducentis ad rectam Ecclesiae gubernationem». Idipsum dicit Viva (*De Poenit.*, quaest. 9, a. 3, num. 2), et Roncaglia (*De Poenit.*, q. 7, c. 2, q. 4) ait: « Universaliter verum videtur, non obligare leges, quamvis non pure poenales, sed etiam medicinales, quoties cessent esse medicinae, atque ita cessare videntur, quoties ex ignorantia seu oblivione non habeant retrahere a peccatis, a quibus voluerunt tales leges cohibere». Imo Ioannes Marin. (*Theol. specul. et mor.*, n. 113) censuit, argumentum in adversarios retorqueri posse (Bal. P. *ad Gury*, p. 335): « *Ideo ignorantia, ait Marin, non excusat iuxta adversarios quia reservatio est medicinalis... Sed quod reservatio sit medicinalis, probat, eam non incurri ab invincibiliter ignorante* »; et concludit verbis Sanchezii (*l. c. in textu*, n. 13) circa censuras: « *Non esset medicina, sed potius obsesset, si ignorata incurreretur* ».

12. Quare, nisi constet legislatorem voluisse reservationem incurri etiam ab ignorante, sicut fecit E. Card. Archiep. Mechlin. in *Monito ad Clerum* (7 aug. 1897) ubi aperte declaravit: « *Casus a Nobis reservati non eximuntur a reservatione ob huius ignorantiam, ita ut isti casus sint reservati, sive a sciente sive ab ignorante reservationem, delictum seu peccatum committatur* », quaestio, quamvis re abstracte considerata, remansit insoluta coram iure communi, prout non constabat, quisnam finis praevaluisset in reservatione, utrum finis poenalis, vel medicinalis, vel disciplinaris, practice tamen soluta fuit, cum confessarius practice et tuto sequi potuisset sententiam, quae asserebat ignorantiam excusare a reservatione ob eius solidam probabilitatem, multo magis si ea alicubi doceretur, sciente et non contradicente E-

piscopo, quia hoc esset signum Episcopum nolle ignorantes ligare (cfr. Lehmkuhl, vol. II, pag. 295).

Et hanc solutionem confirmavit Suprema S. Congr. S. Officii die 13 iulii 1916, prout ipsa *decretorie* et *praeceptive* vult, ut fideles habeant certam scientiam de reservatione ad illam incurrendam, ita ut Ordinarii non possint amplius reservare sibi casus etiam ab ignorantibus incurrendos, sicuti fiebat in plerisque dioecesibus. Siquidem S. Congr. S. Officii in sua instructione ad monitum sextum decrevit: « Verumtamen, statutis semel reservationibus quas vere utiles aut necessarias iudicaverint, curent omnino ut ad *certam* fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eadem deducantur — nam quaenam earum vis si lateant? ». Aliis verbis reservatio ignota quomodo potest avertere a crimine committendo? Igitur iuxta praefatam instructionem S. Officii requiritur certa notitia de reservatione ad illam incurrendam.

Imo haec conclusio vim legis obtinuit post promulgationem Novi Codicis; nam licet ipse Codex dempserit verba, quae legebantur in Const. « *Cum Experientia* » (13 iulii 1916) scil. « *nam quaenam earum vis si lateant?* » *implicite* illa retinuit, quippe quae sua sponte ex praecedentibus ipsius Codicis verbis sequuntur, quae verba sic sonant: « Statutis semel reservationibus, quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Ordinarii, ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eadem deducantur (can. 899, § 1). Et merito, quia reservatio, cum sit poena extraordinaria, non potest praesumi eius cognitio; hinc est, cur ipse Codex praescribit Ordinariis, ut curent illas reservationes ad subditorum notitiam deducere, quia secus, scil. sine earum praevia cognitione non incurrerentur, et proinde nullam vim *practice* haberent.

Insuper communiter admittitur reservationem esse poenam medicinalem: igitur si ipsa sit poena medicinalis, probat eam non incurri ab invincibiliter ignorantibus, quia secus non esset medicina, sed potius obsesset, si ignorata incurreretur. Unde non immerito *reservationi*, prout est poena medicinalis, applicatur, quod can. 2229, § 3, statuit de poenis medicinalibus *latae sententiae*, scil.: « *Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus latae sententiae poenis* ».

Nec huic conclusioni certae, quam dixi post promulgationem Novi Codicis vim legis habere, obstat idea iuridica *reservationis*, prout est restrictio iurisdictionis ad quaedam peccata in ministro; nam haec restrictio respicit peccata reservata certo incurra, non vero peccata reservata ob ignorantiam non incurra; siquidem illa ignorantia impedit, quominus per legem reservationis restringatur in confessario iuridictio ad illa peccata non certo reservata.

Similiter est dicendum de confessario, qui ignorans reservationem, poenitentem a censura et a peccato absolvat, et haec absolutio censurae valet, dummodo non sit censura *ab homine*, aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (can. 2247, § 3).

Et hoc magis patet, si modus consideretur, quo reservationes ad certam fidelium notitiam tutius deducuntur. Hic modus non est novus, sed iam est designatus a Doctoribus, qui ignorantiam a reservationem incurrenda excusare tenebant, praesertim si ageretur de reservatis, quorum publica manifestatio scandalum ingerat fidelibus. Ipsi enim docebant, si confessarii deprehenderint poenitentes non incurrisse ob ignorantiam reservationem, absolvere illos posse pro illa vice, ea tamen lege, ut ipsos pro futuro de exsistentia reserva-

tionis certiores faciant. Dixi si ageretur de reservatis, quorum publica manifestatio scandalum ingerat fidelibus; quia si ageretur de casibus, quorum publica manifestatio nullum scandalum ingerit fidelibus, tunc, ut fideles ad eorum certam notitiam inducantur, bene vel ab altari, vel catechesi vel affixione tabulae eorum ad confessionale publicari possunt.

ARTICULUS VI.

De Subiecto Reservationis.

13. Quis incurrere possit reservationem episcopalem?

1. Omnes subditi dioecesani, qui habent domicilium, ut incolae, vel quasi-domicilium, ut advenae, in dioecesi, aut in ea vagi aut peregrini existentes, quia isti ratione delicti sortiuntur forum loci, in quo delictum commissum fuerit, et proinde ratione delicti, illi tunc quo peccant fiunt subditi. Ratio patet; nam illi reservationem episcopalem incurrere possunt, qui Episcopo constituuntur subditi: Atqui *incolae* per domicilium, *advenae* per quasi-domicilium, *vagi* et *peregrini* in dioecesi existentes ratione delicti Episcopo loci subditi constituuntur: Ergo illi soli possunt reservationem episcopalem incurrere (cfr. dicenda n. 15). Hinc sicut Episcopus respectu illorum subditorum, prout in illos iurisdictionem ordinariam exercet, confessario iurisdictionem in ordine ad absolutionem a casibus sibi reservatis concedere, ita ei illam restringere potest.

14. Hinc: *a*) Non incurrit reservationem a se latam Episcopus committens in sua dioecesi peccatum reservatum, quia nullus superior est sui ipsius subditus, cum nemo sit sibi ipsi superior et inferior. Nec si ipse versans in dioecesi aliena committat peccatum ibi reserva-

tum, etiam cum excommunicatione, quia si ex Const. Benedicti XIV, quae incipit « *Gravissimo* » (§§ 3, 4 et 5), Episcopi titulares non sunt subiecti ordinariae episcopali iurisdictioni, et proinde immunes a vi coactiva illius Episcopi, in cuius dioecesi commorantur, ita dicendum est de Episcopo dioecesano, qui extra dioecesim commoratur.

b) Nec Capitulum ecclesiae cathedralis, in quod tota iurisdictione devolvitur, sede vacante, ut *corpus morale*; quia ut singuli incurrunt reservationem et excommunicationem, si quae peccata committant, ut constat ex decreto S. Congr. C. Trid. die 19 sept. 1620, cum singuli non repraesentent Capitulum. Unde optime Augustinus Barbosa Lusitanus (in *Tract. de canon.*, cap. 36 n. 9) ait: « Sed singuli canonici non reputantur una et eadem persona cum capitulo; neque ipsum repraesentant, cum aliud sit aliquod corpus sive universitas, quae est persona ficta, et aliud singulares eiusdem, quae sunt personae verae leg. ».

c) Nec Vicarius capitularis, in quem devolvitur tota iurisdictione statim ac facta sit eius electio, quia tunc nulla vi coactiva legum sive Episcopi, sive suarum tenetur, cum nullus superior sit sui ipsius subditus. Attamen hoc dici nequit de Vicario generali episcopi, quia ipse, quamvis repraesentet ipsum Episcopum, atque unum tribunal cum eo constituat, et a iure suam iurisdictionem mutuetur, attamen non potest dici ipsum repraesentare Episcopum in suis actionibus personalibus atque privatis, quae legibus Episcopi ligantur, et proinde reservationem et excommunicationem incurreret, si talia peccata committeret.

d) Regulares, qui ex privilegio sunt exempti a iurisdictione episcopali, et prout Episcopo non subiacent, nec eius casibus et censuris ligari possunt, salva semper potestate, quam ius etiam in eos locorum Ordina-

riis concedit (can. 500, § 1). Quod privilegium exemptionis comprehendit etiam novitios, ac moniales, quae Superioribus regularibus subsunt, exceptis casibus a iure expressis; siquidem in can. 65 legitur: « *Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis* ».

e) Moniales exemptae non subiacent casibus et censuris ab Ordinario in dioecesi reservatis, quia monasteria exempta sunt prorsus extra iurisdictionem Episcopi, perinde ac si essent extra territorium (can. cit. 615). Licet autem Episcopus debeat approbare confessarios monialium quoad idoneitatem, non potest iis approbationem limitare; quia expresse dicitur in Const. Clem. X « *Superna* » posse ab Episcopo limitari tempus, locum et personam, sed nihil dicitur de peccatis, quae ceterum pro monialibus, Praelatis regularibus subiectis, iam ab iis reservantur.

Nota. — In Gallia a tempore magnae perturbationis exeuntis saeculi XVIII non agnoscuntur moniales, quae iurisdictioni Episcoporum non subiaceant.

Melitae omnes moniales etiam claustrales sunt subiectae iurisdictioni Episcopi saltem a discessu ab hac insula Fratrum Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, qui venit anno 1798, 12 iunii, et proinde iuxta sententiam communem, quam S. Lig., IV, n. 602 vocat *veriolem*, praedictae moniales subiacent casibus et censuris ab Ordinario in dioecesi generaliter reservatis; quia quando verba generalia concurrunt cum verosimili mente legislatoris, tunc omnes comprehenduntur, qui in lege non sunt expresse excepti. Iam vero mens legislatoris, id est Episcopi Cocco-Palmieri fuit, ut etiam comprehenderentur moniales, quippe qui illas in Synodo nostra, sess. I, cap. XI, pag. 47, espresse non excepit, sicut fecit de impuberibus. Nam in loco citato legitur: « *Neminem autem ante decimum quartum aetatis annum; eo vero expleto, omnes, et singulos etiam pro prima vice talia committentes, hisce censuris et casibus comprehendi volumus* ».

f) Nec impuberes, nisi de ipsis in iure aliter cautum fuerit, sicut de ipsis Const. « *Apost. Sedis* » expresse loquitur, quoad violationem clausurae (cfr. litt. c. p. 26).

g) Non incurrunt reservationem neque excommunicationem mandantes, consulentes, suadentes ut peccata reservata etiam cum excommunicatione perpetrentur, nisi de ipsis in lege expressa mentio fiat, ut constat ex cap. « *Felicis* » de poenis in 6° et ex Const. « *Apost. Sedis* ».

15. Cum *incolae* per domicilium, et *advenae* per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortiatur (can. 94, § 1), planum est ipsos incurrere in peccata reservata Ordinarii loci, quia per domicilium vel per quasi-domicilium ei subditi constituuntur; sed dubium esse potest an *peregrinus*, scil. qui versatur extra domicilium et quasi-domicilium, quod adhuc retinet; et *vagus*, scil. qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habet (can. 91), teneantur reservatione dioecesis, in qua versantur, vel aliis verbis, an simplex confessarius possit illos a reservatis absolvere?

Resp.: Quoad *peregrinos* quadruplex hypothesis fingi potest, scil.: 1° vel agitur de peccatis, quae sunt reservata in dioecesi confessionis et non in patria poenitentis, modo *peregrinus illud peccatum in dioecesi confessionis non commiserit, ubi reservatum est*; 2° vel de peccatis reservatis in dioecesi poenitentis et non in dioecesi confessionis, sive illa peccata habeant censuram reservatam sive non; 3° vel de peccatis utrobique reservatis, idest, tum in dioecesi confessionis, tum in dioecesi poenitentis; 4° vel de peccatis reservatis in dioecesi confessionis a peregrinis ibi commissis.

Hinc 1° simplex confessarius potest illos absolvere, ut in prima hypothesis; quia peccata illorum possunt

reservari, qui subditi sunt reservanti; iam vero peregrini non sunt subditi Episcopi loci, in quo peccata sua confitentur, nisi *ratione delicti*, quatenus ratione delicti peregrinus sortitur forum loci, in quo delictum commissum fuerit: Atqui peregrinus, de quo in hypothesis, non commisit peccatum in dioecesi confessionis, ubi peccatum reservatum est, et aliunde eius Episcopus tale peccatum sibi non reservavit. Igitur simplex confessarius potest illum absolvere.

Hic casus non est confundendus cum casu, de quo agitur in quarta hypothesis.

2° Idem dicendum est, si illos absolvat ut in secunda hypothesis, *etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint*; et hoc clare constat ex can. 900, 3°, ubi statuitur: « *Quaevis reservatio omni vi caret... extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit* ». Idipsum statuitur supra censura a can. 2247, § 2, modo non sit censura *ab homine*, siquidem legitur: « *Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur; censura vero ab homine est ubique locorum reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit* ».

3° Si vero illos absolvat, ut in tertia hypothesis, scilicet quando peccatum est utrobique reservatum, tum in dioecesi confessionis, tum in dioecesi poenitentis, illos absolvere non potuit simplex confessarius iuxta communem sententiam theologorum; quia, ut ait Suarez (D, 30, s. 1, n. 6), talis poenitens iudicandus est quoad confessionem tamquam incola illius dioecesis. Haec sententia etiam hodie post promulgationem Codicis Iuris canonici tuto potest teneri, quia ipse Codex licet haec de re adhuc non clare aperuerit suam mentem, tamen ipse citans Const.

Clem. X « *Superna* » (21 iun. 1670), videtur admittere interpretationem, quam communiter dant Doctores super illa verba Const. « *Posse regularem confessarium in ea dioecesi, in qua est approbatus, confitentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere* »; haec autem verba Const.: « *non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus* », intelligenda sunt, non quatenus illud peccatum sit tantum reservatum vel in sola dioecesi poenitentis, vel in sola dioecesi confessarii, sed quatenus hoc peccatum est utrobique reservatum.

4° Idem dicendum est, si simplex confessarius illos absolvat, ut in quarta hypothesi; quia peregrini, licet non teneantur legibus territorii, in quo versantur, attamen tenentur legibus, quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant (can. 14, § 2). Iam vero ideo reservatio inducitur, ut tueatur bonum publicum, quatenus per illam reservationem caveatur damnum sociale. Quod autem confirmatur ex responsione Pontificiae Commissionis ad Cod. Can. authen. interpr. (24 nov. 1920) ad dubium: *Utrum ad normam canonis 893, § 1 et 2, peregrinus teneatur reservationibus loci, in quo degit?* Resp. « *Affirmative* ».

Igitur peregrini committentes peccatum in dioecesi aliena, ubi peccatum est reservatum, incurrunt in hanc reservationem, et etiam in excommunicationem peccato adnexam, saltem si sciant peccatum esse reservatum cum censura sive reservata sive non. Quia si ignorabant peccatum esse reservatum cum censura sive reservata sive non, dicendum est in neutram incurrisse;

a) *Non in reservationem peccati*; quia ad incurrendam reservationem requiritur *scientia reservationis*, ut constat ex can. 899, § 1 cit., p. 34. Si igitur ad incurrendam reservationem peccati a subditis Ordinario loci per domi-

cilium et quasi-domicilium requiratur scientia ipsius reservationis, a fortiori haec scientia requiritur a peregrinis, quia ipsi non sunt peioris conditionis ac ipsi incolae vel advenae (cfr. dicta art. V *De ignor. reser.*).

b) *Non in censuram sive reservatam sive non*: quia ex can. 2241, § 1, « *Censura est poena, qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur* », et ex can. 2242, § 1, habetur: « *Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum* ». Ex quibus verbis sequitur ad incurrendam censuram necessario requiri *contumaciam* sive *formalem* sive *virtualem* seu interpretativam saltem pro censuris *latae sententiae*, quatenus quis *sciens* aliquid sub censura esse prohibitum, nihilominus contra prohibitionem agere audet, quin Superioris auctoritatem contemnere intendat. Atqui haec contumacia praesumi non potest in ignorantibus peccatum esse lege dioecesana reservatum sive cum censura sive non, ut in peregrinis de quibus hic agitur. Ergo praefati peregrini non incurrunt in censuram peccato adnexam, sive illa reservata sit, sive non.

c) *Quod ad vagos* attinet, simplex confessarius non potest illos absolvere a casibus Ordinario loci reservatis; et ratio est, tum quia proprius vagi Ordinarius est Ordinarius loci, in quo vagus actu commoratur (can. 84, § 2), tum quia *vagi* si non teneantur legibus territorii, in quo actu commorantur, certo tenentur legibus, quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant, quibus tenentur et peregrini (c. 14, § 2). Atqui finis reservationis est ordinem publicum tueri, quatenus per illum caveatur damnum sociale, ut supra dixi. Igitur vagi reservationem contrahunt, si peccata reservata in dioecesi, in qua actu commorantur, committant.

De eorum ignorantia circa reservationem idem dicendum est, ac dictum fuit de incolis, advenis et peregrinis.

ARTICULUS VII.

De Auctore Absolutionis a Reservatis.

16. **Potestas ordinaria** absolvendi a casibus reservatis competit evidenter Superioribus, qui casus sibi reservaverunt, vel reservantium Superioribus ac eorum successoribus. Talis est S. Pontifex pro omnibus casibus reservatis sive S. Sedi, sive Episcopo, sive a iure, sive ab homine; Episcopus, Vicarii eius generales pro casibus Episcopo reservatis.

Nota. — Can. 198, § 1: « In iure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi expresse quis excipiat, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ».

« § 2: Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis ».

17. Quare a) Episcopus habet potestatem ordinariam absolvendi a casibus *ratione peccati* a se vel a praedecessore reservatis *in foro interno*, eoque *sacramentali*, et si Episcopus censuram tulerit, absolvere ab ea possit etiam in foro externo; potest etiam, *in eodem foro interno*, *extrasacramentaliter* auferre reservationem peccato adnexam, ita ut a quocumque confessario absolvi valeat peccatum. b) Idipsum potest potestate ordinaria Vicarius Generalis, quia eius potestas absolvendi eadem est cum illa Episcopi. c) Capitulum ecclesiae cathedralis,

sede vacante, usque ad electionem Vicarii Capitularis, quia tunc in eum devolvitur tota iurisdictio statim ac facta sit eius electio, et proinde incipit gaudere eadem facultate ordinaria absolvendi.

Quaer.: « An Episcopi possint absolvere poenitentes a casibus occultis reservatis ab aliis Episcopis etiam cum censura ? »

Resp. Negative, quia facultas absolvendi per se vel per alios a censuris Ordinario reservatis *a iure* et a censuris *simpliciter* reservatis Sedi Apostolicae in casibus occultis, concessa Episcopis residentialibus a can. 2237, § 2 (non autem Episcopis titularibus, qui sub nomine Ordinariorum non veniunt) non se extendit, ut Episcopi possint etiam absolvere omnes poenitentes a casibus et excommunicationibus adhuc ab aliis Episcopis reservatis, ut constat ex duplici declaratione S. Congr. Conc. sub die 24 ian. 1711 et die 29 nov. 1712, quae adhuc vigent, nec non ex declaratione Benedicti XIV, 21 aug. 1752, quae incipit « *Pias Christi fidelium* », ubi ad privilegium concessum Confraternitati sub invocatione *S. Mariae de Succursu* in Civitate Ianuensi, ut confratres eligere possint quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, cum facultate absolvendi eos in articulo mortis, et bis in vita a casibus *etiam Sedi Apostolicae* reservatis; Pontifex declaravit per enuntiatum privilegium, *absolvendi facultatem... non vero etiam Ordinariis locorum reservatis... per nos in praecitatis nostris litteris concessam fuisse, et consequenter absolutiones... contra praesentis declarationis nostrae tenorem forsitan de praeterito impertitas aut in posterum impertiendas, nemini suffragari potuisse sive posse, decernimus et declaramus* (S. Lig. VI, n. 594).

Dixi omnes poenitentes, quia ex can. 239, § 1-2; 349, § 1, 1^o tum Episcopi residentiales, tum Episcopi titulares

gaudent facultate sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet *etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos.*

18. Hinc non potest potestate ordinaria absolvere a casibus Episcopo reservatis: a) Vicarius foraneus, quia hanc potestatem non habet a iure, sed ex concessione vel mandato Episcopi (cfr. dicta p. 16, lit. b).

b) Nec Parochus, qui quamvis habeat iurisdictionem ordinariam in suos subditos, in foro interno tamen eius iurisdictionis est obnoxia iurisdictioni Episcopi, et nullus Episcopus potestatem absolvendi a casibus a se reservatis contulit parochis gratia officii parochialis ab eo perpetuo instituti. Parochus tamen hanc potestatem habet a iure toto tempore paschali (Cfr. dicta p. 22, lit. c).

c) Nec Praelatus Regularis, ut constat ex propositionibus damnatis, tum ab Alex. VII, sub n. 12: « *Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate* », tum a S. Off. (30 ian. 1659): « *Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis episcopo reservatis, etiamsi ab episcopo auctoritas ipsa ipsis indulta non fuerit* ». Et eadem S. Congr. Conc. ad sequens dubium: « *An confessarii Regulares possint saeculares extra mortis periculum absolvere a casibus ordinario reservatis?* » Die 16 novembris resp.: *Negative.*

Attamen tum Praelatus Regularis, tum omnes Patres, qui habent ab eorum Superiore approbationem ad audientias confessiones in monasterio, sine facultate ab Episcopo accepta, possunt absolvere iuvenes saeculares, quos iuxta statuta regularia in eorum collegio instituunt, a peccatis ab Episcopo reservatis, si quae committant, ut habetur ex Bulla Clementis X « *Superna magni Patris-familias* », anno 1670, die 21 iunii, ubi legitur: « *In monasteriis et col-*

legiis, ubi iuxta regularia instituta vivitur, posse tam Praelatos Regulares, quam confessores Regularium eorundem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt de familia et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt », id est, illorum qui famulantur et non resident intra claustra monasteriorum, quia famuli, qui actu famulantur et resident intra claustra monasteriorum, gaudent privilegio exemptionis, cum isti de familia sint.

19. Quare a) cum familiaribus adnumerentur alumni convictores, qui plene sub obedientia religiosorum vivunt atque in collegiis educantur, si aliqua peccata ab Episcopo reservata committant, possunt absolvi ab approbato a Superiore; b) Regulares, nec non eorum familiares, si aliqua peccata ab Episcopo reservata committant, possunt absolvi non solum ab eorum Superiore, et ab aliis Patribus ab eorum Superiore deputatis, sed etiam a confessario dioecetano saeculari, quin sit approbatus pro reservatis, ex privilegio ipsis concesso a Clem. X per Bullam « *Superna* », dummodo non delinquerent in iis, in quibus subduntur Episcopo, et casus Episcopi reservatus esset; quia tunc debent absolvi ab approbato pro reservatis, ut constat ex Bulla Gregorii XV, quae incipit: « *Inscrutabili* ». Imo Regulares, sive sacerdotes sive laici seu conversi, si quae peccata reservata in dioecesi commiserint, possunt confiteri apud quemlibet confessarium alterius ordinis iusta accedente causa, titulo et occasione de licentia suorum Superiorum, ut constat ex Constitutione Benedicti XIV, quae incipit: « *Quod communi* », in qua conceditur haec facultas Fratribus Capuccinis confitendi aliis confessariis, qui approbationem habent solius Superioris regularis. « *Tenore, ait Benedict. XIV, praesentium statuimus, decernimus, et mandamus, ut quilibet... libere et li-*

cite possit et valeat quemlibet presbyterum saecularem ab ordinario loci, vel regularem a suo superiore regulari ad sacramentales confessiones excipiendas approbatum adire, sicque peccata sua confiteri atque ab ipso obtinere sacramentalem absolutionem ».

Talem facultatem iam concesserat Innocentius VII Fratribus Ord. Praed. ex obedientia iter agentibus et copiam confessarii de proprio instituto non habentibus, ut constat ex Const., quae incipit: « *Provenit* », ubi legitur: posse « *quemcumque alium presbyterum idoneum et discretum religiosum vel saecularem in eorum confessionem eligere* ».

20. Nec hoc privilegium postea fuit immutatum a Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 15, ubi legitur: « *Decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur; et approbationem, quae gratis datur obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus* ».

Ex quo patet Concilium Tridentinum tantum loqui de idoneitate regularium ad audiendas confessiones saecularium, etiam sacerdotum, quam non habent nisi ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idonei iudicentur, non vero de idoneitate, quam habent per approbationem suorum Superiorum, et Episcopus non potest illam coarctare, cum ipse illam eis non contulerit. Ergo privilegium Regularium confitendi apud confessarios alterius Ordinis approbatos a suis Superioribus, remansit intactum. Unde Patuzzi, O. Praed., quem Lehmkuhl vocat in re morali rigidum, loquens (*Ethica Christiana*, tom. 7, tract. X, cap. 4, consec. 3) de decreto

Cone. Trid. ait: « *De regularibus vero nihil omnino immutavit; sed permisit ipsos frui suis privilegiis, quibus illis concessum est, ut sola suorum superiorum approbatione possint et suorum concellitarum, immo et aliorum ordinum religiosorum confessiones excipere, dummodo tamen isti a suis superioribus potestatem acceperint confitendi religioso alterius ordinis, si tamen hanc habeant potestatem* ».

Haec omnia sua sanctione confirmavit Codex Iuris Canonici, nam a can. 875, § 1, edicatur: « In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorundem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis ».

Tenor vero can. 514, § 1, est: « In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis (*alumni convictores*) aut hospitii aut infirmas valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi ».

Nota. Superiores religiosi, antequam alicui dent licentiam audiendarum confessionum, prae oculis habere debent, can. 877, § 1, ubi edicatur: « *Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant* ».

21. Potestas ordinaria potest pro arbitrio communicari et delegari, sive *generaliter* sive *particulariter*, idque *habitualiter* vel *transeunter*.

Haec facultas delegata impertitur *habitualiter* saltem Vicariis Foraneis, quibus conceditur facultas subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro

urgentiori aliquo determinato casu ad eos recurrant, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus (can. 899). Ex hoc enim patet, quod, dum in casu Vicariis Foraneis restringitur facultas subdelegandi ad solos determinatos casus occurrentes, seu pro singulis vicibus, vel, ut dicitur, *transeunter et ad actum*, Ordinarii frui pergant auctoritate delegandi *transeunter* pro determinato tempore, v. g. ad sex menses, vel ad annum confessariis facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis. Nec huic obstant verba can. 899: « *nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant* »; quia mens Legislatoris Iuris Canonici est de impertiendo Vicariis Foraneis facultatem absolvendi *habitualmente pro indefinito tempore*, et non *transeunter*, scilicet ad tempus determinatum pro casibus occurrentibus, quam Ordinarii adhuc conferre possunt sicut conferebant. Insuper illa particula « *saltem Vicariis Foraneis* » etc. non est accipienda *sensu restrictivo*, ita ut Ordinarius non possit concedere illam facultatem *habitualmente* aliis confessariis pro indefinito tempore, si id opportunum iudicaverit, sive ratione habita peculiaris peritiae, sive peculiarium adiunctorum loci, v. gr. collegii, nosocomii etc.; sed magis *sensu declarativo*, quatenus ipsa S. Congregatio, agnoscens in Ordinariis potestatem denegandi hanc facultatem *habitualmente* exercendam, ut huic obviet periculo, praecepit ut *saltem* haec facultas delegata *habitualmente* exercenda, Vicariis Foraneis non negetur.

Quare sedulo attendenda est haec potestas delegata absolvendi a casibus reservatis, an data sit generaliter pro omnibus casibus, quos Episcopus sibi reservavit sive simpliciter, sive speciali modo, vel pro aliquibus tantum; an data sit *habitualmente* pro indefinito tempore, vel *transeunter* pro determinato tempore.

22. Hinc Vicarii Foranei vel confessarius delegatam iurisdictionem habitualem et generalem exercens, non potest extra dioecesim absolvere, nisi supposita approbatione Episcopi loci, ut constat ex instruct. LXXXVI, n. 7 Benedicti XIV, nec non ex Constit. Innocentii XII, quae incipit: « *Cum sicut* » (19 aprilis 1700), ubi declarantur nullae atque irritae confessiones factae regularibus vel saecularibus non approbatis ab Episcopo loci, in quo confessiones excipiunt.

23. At non idem dicendum est de Poenitentiario canonico tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis, quia ipse a iure habet potestatem, quam aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis (can. 401, § 1).

Idipsum dicendum est de parcho potestate *habituali pro indefinito tempore* munito absolvendi a reservatis, cum ipse non indigeat approbatione Episcopi loci, in quo audit confessiones suorum subditorum, quia ratione officii parochialis habet iurisdictionem ordinariam in foro interno erga suos parochianos (can. 873, § 1) quos absolvere potest extra dioecesim ab omnibus peccatis non reservatis, cum ex can. 881, § 2 habeatur: « *Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum* »; et cum haec potestas sit personalis, parochus ubique locorum potest illam exercere, quin ulla ulterior approbatio Episcopi loci requiratur. Unde praefatus parochus potest absolvere a reservatis a suo Episcopo proprios parochianos etiam extra dioecesim versantes.

Episcopus potest exercere extra dioecesim potestatem absolvendi a peccatis, quae ipse reservavit erga subditos dioecesanos tantum, ergo e pari parochus suffultus habituali et generali potestate absolvendi a reservatis in dioe-

cesi suos parochianos potest illos absolvere a reservatis etiam extra dioecesim, cum ex delegatione sui Episcopi eius vice fungatur, iuxta regulam 68 iuris, in 6^o: « *Potest quis per alium quod potest facere per seipsum* ».

24. Igitur sedulo attendenda sunt verba concessionis pro absolutione a reservatis. Hinc si conceditur a) facultas absolvendi « *a casibus Nobis reservatis* », comprehenduntur soli casus episcopales, quos Episcopus simpliciter sibi reservavit ratione peccati; dico simpliciter, quia de his, quos speciali modo sibi reservavit, requiritur expressa mentio in concessione.

b) Si conceditur facultas absolvendi « *a casibus et censuris Nobis reservatis* », comprehenduntur etiam censurae iure communi Ordinario reservatae;

c) Si facultas conceditur absolvendi « *a casibus et censuris Nobis et S. Sedi quovis modo reservatis* », comprehenduntur omnia quomodocumque reservata, si Episcopo a S. Sede absolvendi potestas generalis, specialis et specialissima concessa fuerit. Unde in facultate audiendi confessiones Illustrissimus Praesul Melitensis scribit: « *A monialium tamen, omniumque in Monasteriis aut Conservatoriis degentium confessionibus abstineas volumus. Abstinerere etiam mandamus a casibus absolvendis, qui Nobis vel Sanctae Sedi reservati sunt. Utrumque enim, nisi specialis facultas accesserit, invito conatu audebis* ».

Nota. — 1. Episcopi solent accipere a S. Sede ad tempus facultatem absolvendi vel per se, vel per alios etiam a casibus papalibus reservatis sive occultis, sive publicis. Praeterea si confessarius indigeat facultate absolvendi ab aliquo casu papali, eam ab Ordinario accipere potest.

2. Facultas absolvendi a reservatis concessa ab Episcopo ad absolvendum determinatum poenitentem, nequit a confessario adhiberi in gratiam alterius poenitentis, si prior poenitens non redeat ad confessarium.

25. Quaesita. — Quaer. 1. An nova facultas requiratur ad absolvendum poenitentem, si, post gratiam iam obtentam, antequam absolvatur, in *idem* vel novum peccatum reservatum relabatur?

Resp.: cum distinctione, 1^o *affirm.* si facultas concessa sit *definite*, id est, pro peccatis iam commissis: quia haec facultas tantum valet, quantum sonant verba, quibus postulatum aut indultum exprimitur; 2^o *Negat*, si facultas *indefinite* concessa fuerit, seu *in genere* pro absolvendo aliquo a reservatis, quia tunc extenditur ad omnia reservata, quibus ligatur poenitens, quando absolvitur. Hinc conveniens est, ut confessarius postulet facultatem absolvendi non tantum a casu, quem obvium habuerit, sed a quibusvis casibus et censuris in sequenti confessione forsan occurruris.

Quaer. 2. Quid est agendum, si poenitens a casu reservato ex inadvertentia a confessario simplici absolutus fuit?

Resp.: Ante promulgationem Codicis Iuris can. tenebantur: a) *Poenitens*, qui postea cognoscit se a peccato reservato indirecte tantum absolutum esse, aut ad confessarium redeat eumque roget, ut facultatem absolvendi sibi comparet, aut alium confessarium habentem potestatem in reservata adeat et peccatum indirecte tantum remissum iterum confiteatur.

b) *Confessarius*, ut admoneat poenitentem de errore commisso, si facile fieri potest, e. g. si ad confessionem redeat, ut error ille reparetur. Vel melius petat statim facultatem ab illo peccato absolvendi et curet, ut poenitens iterum ad confessionem redeat et de illo peccato saltem in genere se accuset eumque, etiam de errore non monitum, absolvat. Quod si poenitentem nec facile admonere nec absolvere potest, eum in bona fide relinquat. (Gury, *Casus consc.*, II, n. 578).

e) Hodie autem, ad evitandum omne inconueniens, cautum est a iure, quod in praefato casu *directe* absoluitur poenitens, siquidem a can. 2247, § 3 edicitur: « *Si confessarius ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccatis absolvat, absolutio a censura valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata* ». Iam vero vi c. 2202, § 3 inadvertentia vel obliuio aequiparatur ignorantiae. Igitur confessarius ex inadvertentia vel obliuione poenitentem a peccatis et censuris reservatis absolvens, excepta censura ab homine vel censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata *directe* absoluit, quatenus ipsum ius in simili casu confert ei iurisdictionem relate ad illa peccata et censuras reservatas. Quod iam statutum fuit in multis dioecibus.

Siquidem in dioec. Michl. tenor reservationis fuit: « Ut valeat absolutio etiam pro reservatis, dum poenitens bona fide omittit confiteri peccata reservata, sive sacerdoti habenti sive non habenti facultatem absolvendi a reservatis confiteatur. Si dein poenitens errorem suum cognoscat, tenebitur quidem peccata reservata postea confiteri, sed non tenebitur ea confiteri habenti facultatem absolvendi a reservatis, si prior confessarius eam facultatem habeat ».

Et in dioecesi Brugensi in Libello pag. 26 legitur: « Concedit, Rev.mus Episcopus ut, quando confessarius approbatus, non obtenta a casibus reservatis absolvendi facultate, ex ignorantia aut inadvertentia, etiam culpabili, absoluit ab eiusmodi casu, valide absolvat; quin etiam, si sacerdos approbatus scienter absolvat a reservatis, non obtenta facultate, licet sacrilegium perpetret, eum tamen valide et *directe* absolvere benigne indulget Illustrissimus, si ipse poenitens *bona fide* existimet peccatum suum non esse reservatum, vel sacerdotem, cui illud

declarat, a reservatis absolvendi facultatem habere *et aliunde sit rite dispositus*: ita ut, si poenitens postea certo cognoscat errorem, pro reservatis, ex praecedenti concessione remissis, recursum habere non debeat ad habentem facultatem a reservatis, nec onus subire iterum confitendi peccatum quod rite confessus est ».

Quaer. 3. Quomodo se gerere debeat confessarius, qui omnibus rite perpensis, quae ad reservationem incurrendam requiruntur, inveniat poenitentem peccato reservato innotatum?

Resp.: Si poenitens adire Superiorem vel confessarium privilegiatum renuat, tunc confessarius dicit poenitenti, ut post paucos dies redeat ad obtinendam absolutionem vi facultatis, quam ipse sibi procurabit ab Ordinario. Huiusmodi recursus ad Ordinarium pro opportuna facultate regulariter faciendus est ab ipso confessario, sive ipse personaliter adeat Ordinarium, vel epistolam ad eum transmittat, quae est sequentis tenoris:

1) Reverendissime ac Illustrissime Domine.

Titius incidit in casum in nostra dioecesi reservatum sub n. IV. (*vel in excommunicationem Papae speciali modo reservatam sub n. 2*). Cum ipsum facti poeniteat, humiliter petit absolutionem.

Rescriptum benigne dirigatur ad me confessarium infrascriptum

Servum humillimum

N. N.

in civitate, *vel* pago N.

2) Reverendissime ac Illustrissime Domine.

Humiliter petit infrascriptus facultatem absolvendi a casu reservato sub n. 2, (*vel a censura...*) et ab omnibus

aliis casibus adnexis, tam Episcopo, quam Romano Pontifici reservatis, in decursu eiusdem confessionis occurreris.

Servus humillimus

N. N.

3) Solicite curet confessarius, ut pro posse vitet omne periculum laedendi sigillum sacramentale, et proinde nomen poenitentis debet esse semper fictum.

Quaer. 4. An simplex confessarius possit valide absolute a reservatis a suo Episcopo, quae iam Sedi Apostolicae sunt reservata etiam *ratione censurae*, vel absolute ab iis peccatis quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit?

Resp.: ad primam partem *Affirmative*; quia illa peccata Ordinarius non potest sibi reservare, siquidem in can. 898 statuitur: «*Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata*». Quae verba sunt *irritativa*, idest reservatio, quod contra cit. can. induci contingeret, non restringit validum iurisdictionis exercitium.

Resp.: ad secundam partem: *Negative*, quia verba, quae leguntur in eodem can. cit.: «*et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit*» sunt *directiva*, quatenus reservatio, quae contra illa ab Episcopo induci contigerit, *valide* quidem, sed *illicite* restringit iurisdictionis exercitium, nisi forte propter frequens scandalum aut aliam causam necessariam illos casus nominatim sibi reservet, quia tunc esset etiam *licita* (Instruc. S. C. Episcop. et Regular. 26 nov. 1602).

Quaer. 5. An simplex confessarius possit valide absolute poenitentem a peccato *ratione sui* reservato Sedi Apostolicae, idest a peccato «*de falsa delatione etc.*», cui adnexa est censura *speciali modo* S. Apostolicae reservata,

vel a peccato, cui adnexa est censura eidem S. Sedi reservata, si ob ignorantiam non incurrerit in censuram?

Resp.: *Neg.*, quoad primum, quia peccatum remanet reservatum, cum reservatio peccati *ratione sui* auferat iurisdictionem in illud, et simplex confessarius ab illo absolvere valide nequeat, licet poenitens ob ignorantiam censurae illam non contraxerit. *Affirmative* quoad secundum; quia licet reservatio censurae impediens receptionem Sacramentorum importet reservationem peccati, cui adnexa est censura, attamen si quis excusatur a censura, vel ab ea fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat can. 2246, § 3).

Quaer. 6. An simplex confessarius possit valide absolvere poenitentem a peccato Episcopo reservato, commisso in loco exempto, puta in monasterio?

Resp.: *Affirm.*: quia delictum censetur patratum extra dioecesim, modo huiusmodi peccatum non sit *lege personali* reservatum, quia tunc haec lex personalis, ad instar praecepti, afficit immediate ipsam personam, eiusque ossibus haeret, quocumque terrarum discesserit. Et hoc eruitur ex can. 14, § 1, 1^o, ubi legitur: «*Peregrini non astringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales*».

Quaer. 7. An simplex confessarius possit valide absolvere poenitentem, qui peccatum Episcopo reservatum inchoavit intra limites dioecesis et consummavit extra dioecesim?

Resp.: *affirmative*, nisi aliud in statuto exprimatur; quia reservatio, cum sit quid odiosum, seu onerosum, est strictae interpretationis, et proinde non est extendenda ad actus mere attentatos, sed tantum ad perfectos et con-

summátos, nisi reservans ipsam quoque criminis atrocis attentationem expresse reservaverit.

Quaer. 8. An simplex confessarius possit absolvere Episcopum Titularem residentem in Dioecesi, ubi commisit peccata Ordinario loci reservata?

Resp.: *Affirm.*, quia ex Const. Benedicti XIV, quae incipit « *Gravissimo* » Episcopi Titulares non sunt subiecti ordinariae episcopali iurisdictioni, et proinde sunt immunes a vi coactiva illius Episcopi, in cuius dioecesi commorantur.

Quaer. 9. An simplex confessarius possit absolvere reges et reginas, seu eos, qui supremum populorum principatum obtinent, et horum filios et filias, vel eos, quibus ius est succedendi in principatu, qui peccata Ordinario loci reservata *ratione censurae* commiserunt?

Resp.: *Affirm.*, quia censura non contracta peccatum non remanet reservatum; iam vero praefatae personae exemptae sunt ab hac ordinaria potestate Episcopi, ut possint ab ipso censuris ligari, ut constat ex praescripto can. 1557, § 1, 1^o ubi edicitur: « Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi: 1^o Eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum ». Et ex can. 2227, § 1, habetur: « Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus in can. 1557, § 1 ».

Quaer. 10. An simplex sacerdos e clero saeculari aut alterius religionis approbatus tantum a Superiore religionis laicalis exemptae ad audiendas confessiones degentium in sua domo religiosa, possit audire eorum confessiones, et eos absolvere a reservatis Ordinario loci?

Resp.: *Negative* ad utrumque, quia ipse caret iurisdictione, quam habere debet ab Ordinario loci, siquidem in

can. 875, § 2 legitur: « *In religione laicali exempta, superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur* ».

Quaer. 11. An Sacerdos approbatus a proprio Ordinario ad excipiendas confessiones, iter maritimum arripiens, possit absolvere navigantes, et alios fideles, qui petunt confiteri, a casibus Ordinario loci reservatis sive in navi, sive in terra, ubi obiter appulit?

Resp.: *Affirm.*, quia ex can. 883, edicatur: « § 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus, in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis ».

« § 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum, qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ».

Quaer. 12. Confessarius habens facultatem absolvendi a peccatis reservatis in tempore paschali, in quo incepit confessionem, si elapso illo tempore (*quod decurrit a dominica Palmarum ad dominicam in Albis, quodque a iure ex facultate locorum Ordinariis concessa potest anticipari a quarta dominica Quadragesimae et prorogari usque ad diem festum SS. Trinitatis*) possit a reservatis absolvere suum poenitentem ad satisfaciendum praecepto communis paschalis?

Resp.: *Affirm.*, quia tempus paschale pro individuīs prorogari potest ex rationabili causa etiam a confessario; nam Codex Iuris Canonici suam faciens doctrinam Concilii Lateranensis IV, can. 859, § 1, statuit: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, *nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum* ».

Hoc etiam valet pro missionario, qui tempore missionis incepit confessionem alicuius poenitentis, quam, elapso tempore missionis, complere debet; item pro confessario habente facultatem, qui tempore debito incepit confessionem, et nonnisi elapso tempore facultatis debet illam perficere; et ratio est, quia ubi semel coeptum fuit iudicium, ibi et finem accipere debet. Iam vero prior et secunda confessio moraliter intelliguntur unum iudicium, et proinde est terminandum ac fuit inceptum.

Quaer. 13. Quam poenam incurrat confessarius, qui sine debita facultate a peccatis reservatis scienter absolvit?

Resp.: Incurrit *ipso facto* in suspensionem ab audiendis confessionibus, nemini reservatam, ut constat ex can. 2366 statuente: « *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit..... a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus* », sive ipse absolverit a peccatis reservatis Sedi Apostolicae, sive Ordinario loci, quia verba canonis « *a peccatis reservatis* » intelligenda sunt de quacumque reservatione, excepta reservatione peccatorum, quae in aliqua religione sunt reservata, quia hodie vi can. 519 simplex confessarius potest absolvere religiosos a peccatis et censuris in eorum religione reservatis (Cfr. dicta p. 17, lit. β).

26. A) **Delegata potestas** absolvendi directe a reservatis a iure quandoque conceditur in articulo mortis.

Articulus mortis *in iure* intelligitur etiam periculum mortis proveniens sive ab intrinseco, v. gr. ex infirmitate vel partu difficili, sive ab extrinseco, v. g. ex navigatione valde periculosa, ex praelio instante vel persecutione illata. Nihil obstat, si postea periculum a parte rei innotescat non adfuisse, modo rationabiliter et prudenter reputatum fuerit adesse.

Inter periclitantes in subiecta materia veniunt etiam captivi, quibus levis datur spes libertatis et confessarii copiae (S. Lig., V., n. 561); nec non militiae adscripti *in statu bellicae convocationis vel*, ut aiunt, *mobilisationis constituti*, ut constat ex responso S. Poenitentiariae, 18 martii 1912 dato ad dubium Episcopi Viridunensis: « *Utrum miles quicumque, in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis, constitutus, ipso facto aequiparari possit iis, qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi?* » *Affirmative, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.*

In articulo mortis nulla est reservatio, ut constat ex Concilio Tridentino cap. 7, sess. XIV, ita ut omnes sacerdotes possint absolvere a quibusvis peccatis et censuris etiam praesente confessario privilegiato, ut patet ex responso S. Officii 29 iulii 1891, iuxta quod « *non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non adprobato, etiamsi facile advocari seu adesse potuisset sacerdos adprobatus; nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem.* »

Nunc Novus Codex, ut omne dubium circa hanc rem

eliminet, can. 882, edicit: « *In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252* ».

Itaque si moribundus supervixerit, non tenetur adire Superiorem pro casibus Episcopo reservatis, quia peccata in articulo mortis essent ac non reservata. Nam si vi canonis 900, 1^o, quaevis Ordinariorum reservatio ipso iure cessat cum aegrotis, qui domo egredi non valent; a fortiori cessare debet in articulo mortis, etiamsi adnexam habeat censuram ab Episcopo sibi reservatam, absque obligatione si convalescit, adeundi Superiorem, vel confessarium auctoritatem habentem, non ut confiteatur, sed ut remedia opportuna a Superiore recipiat.

Idem dicendum est, si absolutus fuerit a censuris Sedi Apostolicae *simpliciter* aut *speciali modo* reservatis, modo non sit censura *ab homine*, vel censura *specialissimo modo* S. Sedi reservata, quia si agatur de censura *ab homine*, sic absolutus, si convalescit, tenetur sub *poena reincidentiae* recurrere ad illum, qui censuram tulit, et parere eius mandatis, si vero agatur de censura *specialissimo modo* S. Sedi reservata, sic absolutus, item sub *poena reincidentiae* tenetur recurrere ad S. Poenitentiarium vel ad Episcopum, si facultatem delegatam habeat, aut ad alium quemquam facultate praeditum, et eorum mandatis parere (can. 2252).

B) In casibus urgentioribus: 1^o confessario simplici datur facultas a iure delegata absolvendi *directe* poenitentes a peccatis et censuris reservatis Ordinario loci, quin poenitenti ulterius onus imponat adeundi confessarium speciali facultate instructum, etiamsi poenitens brevi impedimento prematur scil. si poenitentes Superio-

rem vel eius delegatum adire non possunt sine magna difficultate, vel causa urgente premuntur, qualis esset periculum *infamiae* vel *scandali* ex omissione confessionis et communionis, *timor* ne poenitens remaneat in statu peccati mortalis.

Dixi, *etiamsi poenitens brevi impedimento prematur*, quia can. 900 loquens de casibus, in quibus ipso iure cessat quaevis Ordinariorum reservatio, nullam facit mentionem de impedimento *transeunte* etiam *brevi*, quod facile admitti potest in dictis casibus. Igitur hodie simplex confessarius *directe* absolvere potest, absque ulteriore onere adeundi Superiorem, a quavis Ordinariorum reservatione poenitentes, qui Superiorem vel eius delegatum *sine magna difficultate* adire non possunt, vel *causa urgente premuntur*, licet impedimentum sit breve, id est, quatenus facultas necessaria post duos dies, vel etiam post unum diem impetrari possit.

2^o Item simplici confessario datur ab *ipso iure* facultas delegata absolvendi *directe* poenitentes in foro sacramentali (S. Off. 19 aug. 1891; 30 mart. 1892) a censuris Sedi Apostolicae reservatis, in similibus casibus, scil. si hae censurae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut sit durum poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium, ut Superior competens provideat, iniuncto onere recurrendi intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, ad S. Poenitentiarium, vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis (can. 2254, § 1).

Quod autem intelligendum est, quando hic recursus sit moraliter possibilis; quia si esset moraliter impossibilis, v. gr., si neque confessarius, neque poenitens scribere possit, atque poenitenti durum sit recurrere ad alium confessarium (S. Off. 9 nov. 1898), item si poenitens nesciat

scribere, confessarius vero, etsi scribere possit, poenitentem non sit amplius visurus, ut ei responsionem tradat (S. Off. 6 sept. 1900) tunc absolvendus est poenitens, excepto casu, in quo agitur de absolute censurae, de qua in can. 2367 (scil. *de absolvente vel fingente absolvere complicem in peccato turpi*), sine onere recurrendi, iniunctis de iure iniungendis et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit, ac satisfactionem dederit, recidat in censuram (can. 2254, § 1-3).

27. Haec facultas *a iure* conceditur parochis, aliisque qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili (can. 899, § 3). Hinc parochus, vicarii simplices, qui communiter appellantur *Cappellani*, vicarii parochiales, oekonomi, vicarii curati, sive perpetui sive temporanei possunt toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili absolvere poenitentes ab omnibus casibus, quos Episcopus sibi reservavit sive *ratione sui*, sive *cum censura*, cum canon indiscriminatim loquatur de reservatione.

Ut parochus, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, hac facultate utantur, non est necesse, ut confessio fiat ad praeceptum paschale adimplendum.

Item haec facultas ab ipso iure conceditur singulis missionariis toto tempore, quo sacras missiones ad populum haberi contingat (can. cit.).

Quaeritur: An reservatione remaneat obstrictus, qui tempore paschali apud parochum, vel illos, qui parochorum nomine in iure censentur, sacrilege confitetur, et sacrilegam communionem recipit?

Resp.: *Neg.*, quia finis reservationis est obtentus, scilicet, ut peccator iudicio Superioris se submittat; et aliunde

praefati confessarii intendunt absolvere *quantum possunt*, ergo saltem sustulerunt reservationem, quoad fieri potuit, absque sacramento. Sed in casu hic poenitens tenetur confiteri, ut iterum communicet, quia huic obligationi non satisficit communione sacrilega, ut constat ex prop. 55^a damnata ab Innocentio XI (1679), quae sic sonat: « *Praecepto communionis annuae satisficit per sacrilegam Domini manducationem* ».

ARTICULUS VIII.

De Cessatione Réservationis.

28. 1. Reservatio peccato vel censurae adnexa auferri potest vel ab ipso reservante, vel a suo delegato sive sacramentaliter sive extra-sacramentaliter, ita ut, ablata reservatione, possit peccatum et censura a quocumque confessario absolvi.

2. Cessat reservatio *ipso iure*, seu omni vi caret ex canone 900: « 1^o *Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, (quatenus aegroti ob physicam aut moralem impotentiam accedendi ad ecclesiam, domi confessionem instituunt, quacumque ex causa), sive sponsi matrimonii ineundi causa* ». Hic advertendum est ad verba: « *confessionem matrimonii ineundi causa* », quae, cum sit in favorem contrahentium, non est accipienda stricto sensu ita, ut nullo die interiecto statim post confessionem sit ineundum matrimonium, sed ad aliquot dies ante matrimonium est extendenda, et nihil prohibet, quin confessiones intermedias amplectatur *causa matrimonii ineundi* cum iuxta reg. Iuris Can. 15, in 6^o: « *In dubio favores sint ampliandi* ».

« 2^o *Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, pru-*

denti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis ».

Hinc praefata verba can. a) quoad primam partem intelligenda sunt, quod confessarius simplex toties potest absolvere a reservatis poenitentem, quoties legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit; quia clausula « *pro ea vice tantum* » quae legebatur in Instruct. S. Officii (13 iulii 1916) a Novo Codice totaliter ablata fuit, quae, prout erat restrictiva, intelligebatur, ut *tantum semel* licuerit, contradicente Superiore, a reservato absolvere, ita ut confessarius nequiverit eundem poenitentem iterum absolvere, licet iterum petiverit facultatem, quae a Superiore rursus negata fuerit.

b) Quoad secundam partem intelligenda sunt, quoties adest grave incommodum poenitentis, quodque adest, si poenitens ex loco dissito ad confessarium accesserit, et non sine gravi incommodo ad illum accedere posset; vel quoties adest periculum violationis sigilli sacramentalis, quodque adest pro poenitente, qui cum familiaribus ad confessionem accedit et a S. Communionem abstinere nequit, quin graves moveat apud illos suspensiones; vel pro sacerdote, qui alias debet omittere Missam non sine scandalo fidelium.

Sed hic observandum est, quod in hisce casibus absolutio a peccatis Ordinario reservatis est *directa*, absque ulteriore onere adeundi Superiorem et sine poena reincidentiae, quia in hisce casibus omni vi caret reservatio, ex cit. can.; dum absolutio a casibus Sedi Apostolicae reservatis est quidem *directa* (S. Off. 19 august. 1891; 30 mart. 1892) iniuncto tamen onere recurrendi sub poena reincidentiae, ut statuitur in can. 2254.

« 3^o *Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad*

absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit» (cfr. dicta p. 40, 2^o).

3. Cessat reservatio per confessionem invalidam vel sacrilegam apud habentem potestatem in reservata, quia finis reservationis est obtentus, scilicet, ut peccator iudicio Superioris se submittat, et aliunde praefatus confessarius intendit absolvere *quantum potuit*; ergo saltem sustulit reservationem, quoad fieri potuit, absque sacramento; et hoc etiam valet, si poenitens confitens habenti potestatem in reservata oblitus est inculpabiliter reservatum ob praefatam rationem, qui postea potest confiteri illud simplici confessario et absolvi.

Alius enim est finis confessionis, et alius est finis reservationis; finis confessionis est, ut remittatur peccatum, finis autem principalis et directus reservationis est, ut huiusmodi peccata reservata committentes subiiciantur iudicio Superioris. Igitur cum subditus peccatum suum Superiori deferat et poenitentiam ab eo impositam acceptet, etiamsi sacrilege confiteatur, iam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum.

Et hoc maxime valet tempore iubilaei pro eo, qui inculpabiliter oblitus est peccatum reservatum vel censura innodatum, quia Papa tollit omnem reservationem erga eos, qui confitentur in ordine ad lucrandam indulgentiam iubilaei. Hoc autem dici non potest de eo, qui tempore iubilaei invalide confitens culpabiliter reticet peccatum reservatum, vel in confessione aliunde sacrilega inculpabiliter illud obliviscitur; quia facultas absolvendi a reservatis tunc conceditur, ut fideles iubilaeum lucrentur, et S. Pontifex non censetur velle auferre reservationem, si poenitentes iubilaeum non lucrentur.

4. Cessat reservatio in dubio positivo, quod afficit sive factum commissionis sive factum reservationis, seu ius, ut dixi pag. 28 in nota; quia sub illo dubio peccatum non

est reservatum, et directe remittitur a communi confessario; et si post confessionem poenitens deprehendat fuisse certo reservatum, non tenetur denuo illud confiteri, quia iam directe est absolutum, ac proinde manet directe ablata reservatio. Hanc sententiam tenet Lugo, Sporer aliique, quam sequuntur recentiores Ballerini-Palmieri, v. n. 226; Gury II, n. 480; Lehmkuhl II, n. 318; Génicot, *Theol. mor. inst.*, II, n. 291; Noldin, III, n. 278 contra sententiam communiorem antiquorum; et ratio eorum est, quia illud peccatum reservatum dubium directe fuit remissum, cum remissum fuerit vi absolutionis, cui, ut erat in conscientia, subiectum fuit; ergo non tenetur iterum illud confiteri, cum iam praecepto confessionis poenitens satisfecerit. Insuper etiam iuxta patronos oppositae sententiae, qui confessus est se decies *circiter* peccasse, non tenetur amplius in confessione declarare certum numerum, si postea recordetur se peccasse undecies aut duodecies: ergo a pari non tenetur in hoc casu, quia in illo numero probabili quaedam peccata, ut dubia, declarantur.

APPENDIX

Circa cessationem potestatis Episcopi, Ordinarii atque confessarii.

29. 1^o Facultates ex S. Sedis delegatione acceptae non cessant per mortem Pontificis, tum quia censentur *gratiae factae*, cum « *deceat concessum a Principe beneficium esse mansurum* » (Reg. 16 iuris in 6^o); tum quia, mortuo Pontifice, manent facultates *ordinariae* SS. Congregationum (Const. Pii X « *Vacante Sede Apost.* » cap. IV, n. 24, 25 Dec. 1904). Nec cessant per *mortem Episcopi*, cum pertineant concessae facultates ad Ordinarium, adeoque ipso facto competant, Sede Vacante, Capitulo et

Vicario capitulari, quia dignitas non moritur neque variatur per mutationem personae (Cap. 5 *de rescriptis* in 6°, can. 66, § 1-2).

2° a) Facultates ex Episcopi delegatione acceptae non cessant, mortuo Episcopo, (licet cesset potestas Vicarii generalis, cum, deficiente Episcopo, desinat ipse esse Vicarius (can. 371), et proinde non potest amplius sacerdotibus potestatem conferre audiendi confessiones vel absolventi a reservatis, attamen sustineantur, quae sunt ab eo gesta *ignorante* mortem Episcopi, saltem si error sit communis), quia censentur *gratiae factae*, uti sunt speciales facultates absolventi, quas Vicariis Foraneis *habitualiter* concesserit vi can. 899, § 2, vel sacerdotibus ad determinatum tempus quod nondum elapsum est. Et hoc confirmatur ex praxi et regula generali, quod *gratiae factae* non expirant finita iurisdictione delegantis.


b) Facultates concessae in favorem alicuius determinatae personae, seu in particulari, cessant morte Episcopi re adhuc integra; quia censentur *gratiae faciendae*, v. gr. delegatio de audienda alicuius tantum confessione, cum in hypothesis confessarius sit *exsecutor voluntarius*, cuius arbitrio relictum sit audire confessionem vel non, prout expedire iudicaverit. Dixi 1) *re adhuc integra*, quia si confessio iam incepta fuerit, tunc praefatae facultates non cessant (Salm., *De poen.*, c. 11, p. 6, n. 84, cum De Lugo, Sanch., S. Lig., Lib. VI, n. 559). Dixi 2) Si confessarius sit *exsecutor voluntarius*, quia si sit *necessarius*, v. gr. si audita confessione invenit poenitentem obstrictum reservatis, et ipse postea obtinuit ab Episcopo facultatem ad illum absolventum a reservatis, tunc haec facultas non cessat, mortuo Episcopo, quia censetur etiam *gratia facta*, cum poenitenti ius sit quaesitum.

Ceterum, mortuo Episcopo, ei statim succedit cum eadem potestate Capitulum, quod accepto de sedis episcopa-

lis vacatione nuncio statim congregatur et confirmat omnes et singulos ministros in suis muneribus cum omnibus facultatibus compossibilibus cum statu viduitatis Ecclesiae, quas ab Episcopo defuncto acceperant.

Liceat tandem nobis, coronidis gratia, hic decreti S. Officii, 13 iulii 1916, verba nunquam satis laudanda afferre:

« Sed, denique, studeant potissimum Ordinarii doctos, pios ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, eisque opportuniore ad inolita vitia convellenda remedia suggerant, quae ipsimet, si poenitentes ad se remitterentur, adhibitori forent. Quo, et confessariis et poenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt ».



INDEX ALPHABETICUS

A

ABSOLUTIO a reservatis in casibus urgentioribus est directa, pag. 61.

ABSOLUTIO vi iuris communis a reservatis penes sacerdotem, v. *Facultas*.

AEGROTI relate ad reservationem, 64.

ARTICULUS MORTIS in iure quid intelligitur, 60; quinam veniunt in subiecta materia inter periclitantes, *ibidem*; in articulo mortis nulla est reservatio, *ibidem*.

AUCTOR reservationis, 15.

C

CASUS RESERVATUS, 11, in nota.

CASUS reservatus *ratione sui*, seu peccati; *ratione censurae*; et *cum censura*, 13; distinctio inter casum reservatum *ratione censurae* et *cum censura*, 14.

CASUS PAPALES sunt reservati ratione censurae etc., 14; episcopales generatim sine censura, 15.

CESSATIO reservationis per huius ablationem, vel absolutionem, 64; cum aegrotis; cum sponsis; in casu gravis incommodi poenitentis aut periculi violationis sigilli; quando denegata sit a legitimo Superiore facultas absolvendi a reservatis, 64; per confessionem invalidam et sacrilegam apud habentem potestatem, 66; extra territorium reservantis, 65; in dubio positivo, 66; quid, si poenitens, post gratiam iam obtentam, antequam absolvatur, in idem, vel novum peccatum relabatur, 52; si a casu re-

servato absolutus fuerit ex inadvertentia, 52.

COGNITIO confusa sufficit ad incurrendam reservationem, 25, in nota.

CONCESSIO absolvendi a reservatis sedulo est attendenda, 51.

CONDITIONES ad incurrendam reservationem casus Ordinario reservati, nempe ex parte peccati requiritur peccatum mortale, 24; externum et, ut tale, grave, imo ex gravioribus malitiam specificam, habentibus, 25; ut sit opere consummatum, 27; certo reservatum, 28; — ex parte peccantis requiritur pubertas, 26; et scientia reservationis, v. *Ignorantia reservationis*, 29.

CONFESSARIUS — Officium confessarii casum reservatum obvium habentis, 54; regulariter pro facultate absolvendi a reservatis ipse ad Ordinarium recurrere debet, 54.

CONSULENTES non incurrunt reservationem, 39.

CONVICTORES in monasteriis et collegiis relate ad reservationem et absolutionem, 46.

D

DISCRIMEN inter casum reservatum *ratione censurae* et *cum censura*, 14.

DISTINCTIO inter peccatum publicum et externum, 27.

E

EPISCOPUS — Eius potestas reservandi sibi casus, 16; absolvendi a reservatis, 43; et etiam extra dioecesim, 50;

recursus ad eum faciendus est pro facultate absolvendi, 54; Episcopi solent accipere a S. Sede facultatem absolvendi vel per se, vel per alios a casibus reservatis R. Pontifici, 51, in nota.

EXCOMMUNICATIO sola attendenda est in tractatu de casibus reservatis, 11, in nota.

F

FACULTAS absolvendi immediate vel mediate apud R. Pontificem, 43; apud Episcopum, 43; ipse non potest absolvere a casibus occultis reservatis ab aliis Episcopis, 44; apud Praelatum regularem eiusque religiosos, 45; apud Confessarium saecularem relate ad Regulares, 17; relate ad peregrinos, 39; relate ad aegrotos; ad sponso 64; ad detentos brevi impedimento, 62; tempore paschali, 63; tempore missionis, 63; quando casus non est reservatus in dioecesi confessarii, 39; quando facultas absolvendi ab Ordinario denegatur, 64.

FACULTATES ex S. Sedis delegatione non cessant per mortem Pontificis; nec per mortem Episcopi, 67.

FACULTATES ex Episcopi delegatione acceptae, mortuo Episcopo, non cessant, 68.

FACULTATES concessae in favorem alicuius determinatae personae cessant morte Episcopi, 68.

FAMILIARES Regularum relate ad reservationem et absolutionem, 45.

FINIS reservationis triplex: poenalis, disciplinaris vel medicinalis, 12; innotescit ex declaratione reservantis, 12.

FORMULA recursus ad Ordinarium pro casibus reservatis, 54.

G

GRATIAE factae, 68.

GRATIAE faciendae, 68.

I

IGNORANTIA reservationis excusat ab ipsa incurrenda, 29.

IMPEDIMENTUM breve quid intelligitur, 61.

IMPUBERES non sunt obnoxii reservationi, 27, 39.

INCESTUS, 25.

INIECTIO manus in parentes, 62.

INTENTIO reservantis directe fertur in delinquentem, 11.

INTENTIO gravior mala non sufficit ad incurrendam reservationem, 26.

INTERPRETATIO reservationis stricte est facienda, 27.

INTRODUCTIO — Episcopi ius habent reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo, 7.

INSTRUCTIO Benedicti XIV, super casuum conscientiae reservatione, 19.

INSTRUCTIO S. Officii, 13 iulii 1916, 20.

IUBILAEUM — Non liberantur a reservatione, qui tempore iubilaei sacri lege vel invalide confitentur ad lucranda indulgentiam ipsius iubilaei, 66.

IURISDICTIO, non approbatio, restringitur per reservationem, 38-39.

M

MANDANTES non incurrunt reservationem, 39.

MISSIONARIJ quid possunt tempore missionis relate ad reservationem, 63.

MODUS melior, quo a fidelibus cognoscantur reservationes, 35.

MONIALES relate ad reservationem, 38.

MONITA Instruct. S. Officii, 13 iulii 1916, quatenam sint irritativa et quatenam directiva, 23, in nota.

MONITIO de reservatione facienda, 30.

O

ORDINARIUS — quis veniat in materia reservationis, 43, in nota.

P

PAROCHUS non habet potestatem reservandi, 18; non habet potestatem ordinariam absolvendi a reservatis suos parochianos, 45; si habeat facultatem habitualement et generalem pro indefinito tempore potest semper absolvere suos parochianos a reservatis extra dioecesim versantes, 50; quid potest tempore paschali, 45.

PRAELATUS regularis, eius potestas reservandi sibi casus, 16; absolvendi a reservatis, 45; delegandi, 43-44; potest concedere suis subditis facultatem confitendi apud confessarios alterius Ordinis a suis Superioribus adprobatos, 47.

PEREGRINI quinam sint, 39; quando in alia dioecesi absolvi possunt, 39-41; an incurrant reservationem, quando peccant, ubi peccatum est reservatum, 41.

PERICULUM mortis pro absolutione a reservatis, 60.

POENITENS in bona fide existens iuxta statuta aliquarum dioecesium directe a reservatis absolvi potest, 53.

POENITENTIARIUS ecclesiae cathedralis, vel collegiatae habet potestatem ordinariam absolvendi a reservatis, 50.

POTESTAS delegata absolvendi *directe* a reservatis a *iure* conceditur sacerdoti in articulo vel periculo mortis, 60; parochis, et illis, qui nomine parochorum in iure censentur, 22.

R

RECURSUS ad Ordinarium pro absolutione a reservatis, 54.

REGULARES exempti a reservatione episcopali, 37.

RESERVATIO quid est, 11; quando cessat. v. *Cessatio*, 64.

S

SCIENTIA reservationis ad illam incurrendam requiritur, 29.

SUADENTES non incurrunt reservationem, 39.

T

TEMPUS ad praeceptum paschale adimplendum utile, 58.

V


VAGI quinam vocantur, 39; incurrunt reservationem committentes peccatum reservatum in dioecesi aliena, sed non excommunicationem, 42-43.

VERBA concessionis pro absolutione a reservatis sedulo attendenda sunt, 51.

VICARIUS generalis habet potestatem ordinariam absolvendi a reservatis, 43.

INDEX SYNOPTICUS

PRAEFATIO AD LECTOREM	5
INTRODUCTIO	7
ART. I..... De Natura et Fine Reservationis	11
ART. II..... De Modo Reservationis	13
ART. III... De Auctore Reservationis	15
ART. IV.... De Conditionibus ad Reservationem requisitis	24
ART. V..... De Ignorantia Reservationis	29
ART. VI.... De Subiecto Reservationis	36
ART. VII.. De Auctore Absolutionis a Reservatis	43
ART. VIII. De Cessatione Reservationis	64
APPENDIX Circa cessationem potestatis Episcopi, Ordinarii at- que confessarii	67



Elusdem Editoris.

Catalogus "Opera Latina et Liturgica", postuletur.

Opera novissima iuxta Codicem Iuris Canonici.

COCCHI (Sac. Guidus C. M. Prof. Theol. Mor. et Iuris Can. in Collegio Internat. Brignole-Sale pro Miss. Exteris). **Commentarium in Universum Codicem Iuris Canonici** pro Scholis concinnatum.

Liber I. **Normae Generales**. II editio, emendata et aucta 1921, in-8, pag. 220 Lib. It. 7 —

Liber II. **De Personis**

Pars. I. - Tomus I. **De Clericis in genere**, in-8, paginae 250, 1921 Lib. It. 7 50

Pars. I. - Tom. II. **De Clericis in specie** Lib. It. 14 —

Pars II. ac III. **De Religiosis - De Laicis** Lib. It. 10 50

Reliqua volumina anno 1922-23 parebunt:

Liber III. **De Rebus: De Sacramentis - De Locis et Temporibus sacris - De cultu Divino - De Magisterio ecclesiastico - De Beneficiis - De Bonis Ecclesiae temporalibus.**

Liber IV. **De Processibus.**

Liber V. **De Delictis et Poenis.**

CAPPELLO (P. F. M. S. I. Doct. sacrae theologiae, philosophiae, iuris can. ac civilis). **Tractatus canonico-moralis de Sacramentis iuxta Codicem Iuris canonici.** Opus ex tribus voluminibus, circiter pag. 700 singulis complectentibus, constabit scilicet:

Vol. I. **De Sacramentis in genere** — *De Baptismo, Confirmatione et Eucharistia*, 1921, in-8 pag. XXIV-696 Lib. It. 20 —

Prodibit mense Septembri 1922

Vol. III. **De Matrimonio**

Sub praelo

» II. **De Poenitentia, Ordine et Extrema Unctione.**

Pretium huius voluminis Lib. It. 3,50.